DVO
TRAC
CHYM


VERSANTUR HIS TRIBUS

Collection [illegible] octobre [illegible]

ZACHARIÆ BRENDELII

Med. Doct. & Prof. Publici

CHIMIA

IN ARTIS FORMAM REDACTA,

Ubi præter Methodum addiſcendi ἐγχειρήσεις Chimicas facilimam, diſquiſitio curata de famoſiſſima præparatione

AURI POTABILIS

inſtituitur.

Editio ſecunda correctior, & auctior,

poſt obitum Autoris,

Conſilio

WERNERI ROLFINCK

Hamburgenſis Phil. & Med. Doct. Practicæ & Chimiæ Profeſſoris iterum luci tradita, cum ejusdem præfatione.





JENÆ.

Sumtibus JOHANN REIFFENBERGERI.

Anno M.LC.XLI.

Serenissimo & Celsissimo Principi ac Domino

DN. WILHELMO

Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium Duci, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Comiti in Marca & Ravenspurg, Dynastæ in Ravenstein,

Principi ac Domino nostro Clementissimo.

ANnus jam agitur decimus, & quod excurrit, *Celsissime Princeps, Domine Clementissime*, cùm Chimiam in artis formam redactam, itidem CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO Dn. JOHANNI CASIMIRO &c. laudatissimæ memoriæ, Parens p.m. noster, certas ob causas, inscripsit. Cùm verò eadem pluribus in locis aucta, ob defectum priorum e-

xempla-

xemplarium, iterum typis esset excudēda; in nomine VESTRÆ SERENITATIS apparere eam ipsam debere, existimavim9. Causam damus unâ plures: Animum erga literas propensum, & quod res est, gratiam & favorem illum singularem, quô Vestra CELSIT. parentem nostrum clementissimè tot prosecuta est annos: beneficia deniq; ingentia in nos collata; quæ si decantare vellemus, dedicatoria hæc in volumē excresceret. Quocirca ne profligatissimæ ingratitudinis vitium incurreremus; Persam illū Sinætam, qui Regi Artaxerxi, (nihil cùm haberet aliud, quo animi gratitudinem declararet,) aquæ haustum obtulit, imitati, chimiam hanc nostri Parentis p.m. of-

ferimus, non quod chartaceum hoc munuſculum VESTRÆ CELSIT. dignitati & meritis reſpondere exiſtimemus: ſed quod ſubmiſſæ gratitudinis teſtimonium fore confidamus. Accipiat ergò VESTRA CELSIT. hoc quicquid eſt, vultu ſereno, & valeat ad Neſtoris annos, cum *Sereniſſima Conjuge*, & liberis Illuſtrisſimis, quos omnes in Eccleſiæ & Reipublicæ ſalutem & incremẽtum, ab omnibus & animæ & corporis periculis tutos atq; immunes præſtari, à NUMINE ILLO DIVINO ardentisſimis votis exoptamus & precamur.

Veſtræ Serenitatis

Subjectiſſimi

Vidua & Liberi.

WERNERI ROLFINCK
Medicinæ Doctoris & Profeſ-
ſoris Publici in Academia
Jenenſi
PRÆFATIO
ad
LECTOREM.

SI quiſpiam eſt, qui hunc ZACHARIÆ BRENDELII, quem CHIMIAM IN ARTIS FORMAM REDACTAM inſcripſit, LIBRUM, dignum arbitratus fuerit, qui non ſemel, ſed iterum typis excuſus, publicæ commendetur luci; is adſcribat ſuæ, non aliorum modo, verùm etiam meam ipſius ſententiam.

ILLE quidem, dum vitali fruebatur aurâ, temp9 in ſtudiis nobilioribus ſedulus transegit, me-

dicinam cum laude docuit, cum ingenti adplausu multis in locis fecit, famam inde consecutus invidendam; ut domus illius haberetur pro sede oraculi alicujus, quam consilia petituri frequenter accedebant, rarò tristes, plerumq; læti exoptata reportantes responsa. Pro salute ægrotorum vigilabat perdius & pernox, diemq; illum sibi perire judicabat, qui infirmum ipsius auxilio non sublevatum videbat.

Hac celebritate permoti multi Principes suæ salutis præsidē illū cupiebāt. Illustrissim9 & Celsissim9 PRINCEPS ac DOMINUS, Dn. FRANCISCUS Dux Saxoniæ, Angariæ, Westphaliæ &c. agmē ducit, q Pesnaco Voigtlandię urbe haud incelebri, ubi Physici

ſici munere fungebatur, illum e-vocabat Laumburgum. Ibi magnis favoribus in ſublime elatus, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, elegantem & gratioſum ſe exhibuit medicum, non ſolùm externo ornatu, quem veteres Aſclepiadæi ipſo vultu, inceſſu, geſtu, moribusq́; ad gravitatem & gratiam compoſitis præ ſe ferebant, ſed vel maximè internis illis ſapientiæ luminibus, quę εὐσχημοσύνην cō-ſummant & abſolvunt.

Inde placito SERENISSIMORUM PRINCIPUM SAXO-VINARIENSIUM Senatꝰ oppidanus medicum Oenagorá adſcivit: ubi non ſolùm à vulgo humaniter exceptus & habitus, ſed & apud Magnates & Nobiles in precio & exiſtimatione fuit;

 nec

nec multò poſt in aliquorum *Comitum* & *Baronum* notitiam pervenit, eorumq; ad aulas crebrò admiſſus fuit. Frequens erat in Vinarienſi: in Arterenſi, â Perilluſtri & Generoſo Domino, Dn. VOLRADO, *Comite Mansfeldico*, Nobili Dn. in Heldrungen & Scraplâ, tanquam numen tutelare colebatur.

Tandem etiam Collegii Medici nominatione, totiusq; Senatus Academici commendatione, nec non PRINCIPUM approbatione in hanc noſtrã Univerſitatem Medicinæ Profeſſor acceſſit, veteranus & exercitatus Practicus inq; hoc ſtudio omnes officii ſui partes inſigni auditorũ cum fructu, ſumma diligentia atq; fide explevit, Eupraxian magni

gni æſtimavit, idq́; operã dedit, ut nõ ſolùm citò & tutò, verũ etiã jucũde mederetur, ſuas ægrotãtib9 haberet gratias, inq; devorãdis medicamẽtis omnia leniret faſtidia.

Hæc cura ita eum occupavit, ut quam à primis ſtudiorum initiis amaſſet Chimicam medicamentorum præparationem, illam eodem favore proſequeretur: πολύχρηστα remedia peritâ manu, & ἐγχειρήσει ipſe concinnabat, ex triplici regno ea ſeligens, quæ ab omnium matre tellure, in ſcenam mundanam in uſus humanos potiſſimùm emiſſa exiſtimabat: neq́; in ſecretiorib9 naturæ receſſibus deſudare ceſſabat, illam quam πολλοὶ θαυμάζουσιν, ὀλίγοι δε γινώσκουσιν, univerſalẽ medicinam in oculis habens. Uti.

nam Fatorum inclementia vitæ non invidiſſet hunc virùm! nullum dubium, quin vel ejus operâ natura ſe ſacris compedib9 ligari paſſa, multorum deſideria tandẽ ſatiaſſet, & mortalibus gratam lucem affulſiſſet.

Inter alia ingenii monumenta, quæ publicè prælegendo poſteritati communicare voluit, excellit LIBER hic mole parvus, virtute magnus: PARVUS, quia compendioſus: MAGNUS quia viam ſternit, ad magnam artem Chimiam: Chimia ad maximam illam Medicinam, quæ parvos reddit magnos, magnos majores, majores maximos. Quemadmodum ſub libero arborum & putamine fructuum delitеſcunt medulla & nucleus, quæ, cortice fracto,

fracto, in conspectũ veniunt: ita liber hic sapidissimum in gremio suo fovet nucleum: quem qui curiosâ volverit ac revolverit manu, facilè inveniet. Non hîc fraudes hominum & ingeniorum capturæ, quæ cuiq; venalem promittunt vitam, misturæ & inexplicabilesq́ compositiones decantantur; sed blando eloquio limpidissimus utilium rerum apparatus illustratur, inq́ tuum aspectum LECTOR BENEVOLE profertur. Crede mihi, hunc librum externâ facie minus promittere, quàm intus & in cute gerat. Liberaliter suppeditat remedia, quæ humanũ genus multis beneficiis ornare, beare, sanum à morbis præservare, ægrum sanitati restituere valent.

Octavius Augustus Imperator justissimus & gravissimus, quoties rogaretur ab amicis, ut eorum quos promotos vellent, rationem haberet, populoq; Romano commendaret, semper adjicere fuit solitus: SI MEREBUNTUR. Ego etiam rogatus, ut hunc

solertiæ

ſolertiæ Brendelianæ ſobolem verbis ornarem, ſubinde illud mecum reputans, favorem mereri certus, honorem hunc Brendelianæ memoriæ habere ... ui, minori certè ſermonis apparatu quã dignitas rei poſtulare videtur. ... atu animum declarare, juſtâ & æqua ... ſione commoda ob oculos ponere ſcopus eſt.

TU LECTOR BENEVOLE Corinthum ingredere: Draco excubitor eſt ſopitus, poma aurea in horto Heſperidum decerpe, his laboribus fave, mihiq; honorum & opum incrementum apprecare, ut alacri animo ſtudiis invigilẽ, tandemq; meorũ quoq; laborum & meditationum, quæ viva Profitentis vox auditoribus philiatris quotidie conſecrat, fructus matureſcere, atq; in publicum medicæ rei emolumentum in lucem emitti queant. Dab. Jenæ è Muſeo Anno 1641. Julii 6.

ODE

ODE JAMBICA
ad Virum
Excellentiss. Dn. ZACHARIAM BRENDELIUM Medicinæ Doctorem, ejusdemque Professorem Publicum in alma Salanâ,
Amicum, Fratrem, ut mellitissimum, ita candidum & sincerum.

UT in Novensilis PALATIO gregis
sacri LYCeus Arbiter
Jugi, tuum politum (AMICE) legerat
CONLEGIUM, atq; surculos
sacrantis artis hos datos ex hortulo
stupore pressus obvias
sibi ciet Sororculas, id inquiens:
ADESTE BLANDA NUMINA
Videtis en! novos subinde flosculos
libellulis ex CHIMIÆ
repullulare pluribus: quid eloquar?
quid inquiam? nec obtulit
ad hunc modum PERITUS ante QUISPIAM
magis breves, magis bonos.
Habebit heîc JUVENTA docta CHIMIÆ
EPITOMEN citissimam,
Artisq; totius repentè SUMMULAM
colore floridissimo
ROSAS videbit, ac odora LILIA:
Id auguror DEUS DEIS.

POLITUS

POLITUS AUTOR & VIVET BRENDELIUS
columna Chimiæ integra,
meiq; nobilis Cacuminis, ſacri
APOLLINISq; GLORIA
manu potentiore PARCA fila ſi
Colûs acerba protrahet.
Sed interim procul recede ZOILI
Caterva turpis, impia:
Amarulenter haut ſcelesta lingua
reprendat iſta dogmata
ſacro probata NUMINI: nec improbo
laceſſat ore CHRISPUS hæc-
NOVEM DIIS mei vadi-placentia
VIRISQUE DOCTIORIBUS
PETITA. malignus iſte quiſpiam
calumniabitur modò,
JAMBICIS meis necabitur modis:
Poeta græcus ut ſuæ
Puellulæ Patrem, venuſtiora cum
negaſſet ora filiæ,
Jambicis ſonoribus coegit, ut
trifaucis antra Cerberi
Subiret & ſtupenda DITIS atria
novâ litaret hoſtiâ

LIVORI & CHARISIN
aliter atq; aliter ſacrat
DAVID LIPSIUS ISCANIUS
Doctor Med. & C. P.
Cæſarius.

Ad

Ad
ZACHARIAM BRENDELIUM Med. Doct.& in almâ Salana Profesſorem Publ.

Εγχυμ⊙ ille Vir est, χυμικὰς qui prodidit artes:
Est artis quosvis noſcere poſſe χυμὸς.
Ergo χυμῶν vires demonſtrans ordine, chare
Brendeli *charis proderis arte Viris.*

M.Johannes Rüdinger Poet. Laur. Cæſ.Eccleſiaſtes in Weyra.

ARte potens verè es, quia dirigis arte ſcientes,
BRENDELI Chimicos efficis artifices.
O multùm ſalve, tantæ venerandus opellæ
Autor es, HERMETIS digna βραβεῖα feres.

Achabus ab Arnstheim.

Confusè Chimia eſt tractata exculta q; quondam,
Nunc eſt ad juſtum ducta, redacta modum.
Si miraris opus Naturæ, quo benè ſtirpi
Mirandô nexu germina juncta vides:
Hunc non immeritò, Lector mirare libellum,
Quo docet affabrè BRENDELIUS Chimiam.
Quo fontes artis referat, rivosq; ſequentes
In ſua deductis flumina cogit aquis.
Scilicet artifici Methodô, vel legibus artis
Concinnè nectens ordine quæq; ſuô.
Qui cum non dubium, quin det tibi grande levamen
Lectori, lectu laudeq; dignus is eſt.
Cuilibet idcircò hunc artis commendo Tyroni,
Hoc duce namq; ipſi Chimia tota patet.

Faciebam Dresdæ

Andreas Orthelius Spagyrus Electoralis.

Ad Virum

Amplissimum & Excellentissimum Dn. Guernerum Rolvincium Professorem Medicum incomparabilem, & omni elogio superiorem, Chimiam Brendelii auctiorem & emendatiorem curatè edentē.

PEr TE Brendelio redit optatissima vitæ
aura, micatq; novo mactus honore Liber.
Hoc est, hoc verè est vel post sua busta manere
junctum Collegæ manibus unanimem.
Tu verò, ROLVINCE, decus palmare Medentum,
atq; ægrotorum spes, catapulta necis:
quando fines tandem doctos exire labores,
queîs Parcæ toties est revocata manus?
Queî, salva Genitrice, hærens petat embrio lucem?
sentiat & celerem mœsta puerpera opem?
Vulnera quî coeant desperatissima? longum
loripes indubio quî pede carpat iter?
Tùm surdastra quibus pateat processibus auris,
& rectà videant lumina pæta diem?
queî cœlum terræ Chimica se misceat arte:
nec metus, antiquum fortè redisse chaos?
& quis dinumeret portenta mera illius artis,
credita quæ manibus statq; caditq; tuis?
O Superi! servate VIRUM: servate Lycei
fulcrum; delicias Nobilium, atq; Ducum.
O Superi! servate virum: servate Patronum
pauperum & ægrorum! conduplicate dies.
Æmulus hic vestrûm est, dando, solando, juvando:
vestra etiam ut vivat tempora longa, date.

Ita Collegæ honoratissimo,
ex animo vovebat

Johannes Michael Dilherrus
P. P.

I.

PROOEMIUM
& quidem ejusdem
SECTIO I.
Continens commendationem Chimiæ

INter cœteras artes, quas in communem salutem divina humano generi concessêre consilia, CHIMIAM nobilitatis radiis micare, veritatis splendore scintillare, certisq; fundamentis niti, uno ore, constantiq; testimonio affirmant Philosophi, omniq; exceptione majores summi Monarchæ, Viriq; plurimi Integerrimi. *Theobaldus Hogl. in proœm. libri de diffic. Alchim.* & quidem illi, diversissima, distantissimaq; incoluerunt loca: diversis etiam vixerũt temporibus, ita ut à se invicem illũ errorem (*sic enim vocant Misochimici*) discere potuisse non videantur. Unde apparet,

Chimia est ars nobilissima, verissima, certissima.

i. ex unanimi consensu plurimorũ Philosophorũ & summorum virorum &c.

A

paret, consensum illum tàm latè patentem non unius Urbis, sed Orbis, aliud nihil quam evidentissimam infallibilemq; veritatem cōtinere *J.W. è Dienheim l. de Medicina universali p.3.*

2. Ratione originis, quã à Deo T. O. M. deducit.

Ars hæc præterea, æquè ac aliæ artes ac scientiæ laudatæ à Deo Patre luminum originem suam deducit, quod *Hermes Maximꝯ ille Philosophus* (alia testimonia ut hac vice prætercam, cum unicum hoc illustre instar omnium esse possit) attestatum facit, *cum in hæc erumpit verba cap. 1. de lap. secreto.* Artem hanc & scientiam solius Dei vivi inspiratione habui, qui mihi famulo suo pandere dignatus est.

3. Ratione fidelitatis & utilitatis in Medicinâ.

Insuper Chimia, Medicinæ amanuensium & ministrarum, quarum numero plures sunt, fidelissima existit: quâ sine maximô ægrotorum damnô, ut taceam nauseâm, carere nequit; in hâc præsertim mundi senectâ, ubi duro nodo durus quærendus est cuneus. Jam enim non pari facilitate curari morbos, ac superioribus

Non æque facilè jã curãtur morbi ac prisćis temporibus.

bus seculis factum, vel unicum hoc evincere videtur; quod *M. Cato de re rustica c. 156. 157.* brassicā per annos sexcētos Romanis Panaceæ instar omnis generis morbos curasse, ab iisdemq; eos præservasse clarè pronunciat. Nostris temporibus hoc mirum auditu, ne dicam factu esset: Quod si quis inveniretur, qui in usum per jocum saltem reducere conaretur, næ ab omnibus ludibrio haberetur!

Postremùm, ut eloquar, quod res est (verborum horum autor est *Quercetanus, Medicus ille Regius & egregius*) huic arti acceptum ferre debet Pharmacia, quicquid habet pulcri atque artificii nobilioris, adeò ut ars Medica simpliciter in sua perfectione considerata medicamentis Chimicis carere nequeat, illiq; qui Chimiam à Medicinâ Dogmaticâ disgregatam cupiunt, similes videantur iis, qui Solem è Mundô sublatum volunt.

4. Quia Chimia partem pharmaceuticen ornat egregiè.

Sed quemadmodum aliàs in Mundô hoc immundô contingere solet, ut nihil tàm sanctam, tâm laudatum, tàm perfectum reperiatur, quod

Vti omnia egregia inventa aut spernuntur, aut carpuntur aut profanātur; ita quoq; Chimia,

quod ſuos non habeat profanatores, ſuos oſores, ſuos roſores, qui venenô ſuô illud inficiant & depravent, qui nasô adunco ſuſpendant, quiq; illi, inclementer dicendo, labem aliquam aſpergere, & quôvis modô detrahere auſint: ita etiam hoc fatum ſanctiſſimam, laudatiſſimam, atque immaculatiſſimam Artem hanc manere deprehendimus.

Profanatorum Chimiæ pæna digna, PRIORES quod attinet, ſanè digni eſſent, quos prudens Magiſtratus ſeveriori oculo obſervaret, inq; eos exempla ſtatueret, quò alii ab ejusmodi facinoribus deterrerentur. Quotusquisq; enim non eorum, qui militiam egeni deſeruêre, Tonſores, Rabulæ, vetulæ incantatrices, Monetarii contemtiſſimi audiunt, aut quocunq; modo bona ſua dilapidarunt, Chimicus audire non cupit? interim nihil ab Elephante differt, ne quid durius proloquar. Sed verendum, ut hic quoq; locum inveniat *Salvatoris* noſtri dictum de erroribus in Eccleſia exiſtentibus (*ſi parva magnis cõponere*

ponere licet) ZIZANIA SINITE CRESCERE USQUE AD MESSEM &c.

Illi verò qui auditô solô Chimiæ nomine inhorrescunt & subinde vomituriunt, quos ceu haleces sale condiendos, posteaq; in fumô suspendendos *Mufetus* dictitat; illi, *inquam*, temporis progressu, rerum omnium Magistrâ, Artis evidentiâ, propriaq; conscientiâ victi jamdudum obmutuêre.

Osores Chimiæ jamdudū sese subduxerunt.

Horum vero obtrectationes & objectiones tot sunt,

—*quot divitis ostia Nili*,

quas tamen ut elumbes ne τῶ δ' ἰάμου γρὺ æstimant cordati, illasq; diluit *Job. Conradus Gerhardus in extracto Chimicarum quæstionum*, simul etiam veritatem artis hujus contra negantes principia fundamētaliter & fusè adserit.

Rosores Chimiæ quidem multi sunt, sed devicti.

Unum aut alterum solum movebimus, quod plerisq; ejus cultoribus jure merito exprobrari queat.

Nempè quod magnis impensis vigili labore & indefesso studio in-

Objectio. Quod celēt omnino vel obscurēt inventa, Chimici reprehenduntur.

Quod celent omninè vel obscurēt inventa Chimici, describuntur.

quisitam inventamq; scientiam *aut in arcanô habeant omninò, neminiq; quicquam de eâdem communicent: aut sub parabolis obscurisq; ænigmatis descriptam eādem in lucem, prodire patiantur Et quidam istorum adeò affectatè obscuri sunt, ut satius sit, nihil istiusmodi scriptorum legisse, quam multa ejusdem farinæ multô studiô perlustrasse.* Quam quidem consuetudinem, quamvis illi suis rationibus, ob quas ita arcana obnubilent, destitui haud videantur, nostro suffragio, cum peccent contra dilectionem proximi, commendare haud possumus, imò conducibilius judicamus planè & perspicuè in usum publicum sua experimenta & inventa promere.

Objectio.

Objiciunt alii ejusdem tenoris titulotenus multa, imò plurima hinc inde typis conscripta conspici, quæ tamen ubi inspexeris, ne cassâ nuce emeres.

Respōsio ad objectionem præcedentē.

Quibus responsum volo, me quoq; plurimos tractatus vidisse, qui prima fronte montes aureos, & nescio quid amplius promitterent, solidæ tamen

men ſcientiæ parùm, aut ferè nihil continerent, adeò ut doluerim jacturã laboris, temporis, chartæq;, quæ ipſis excudendis & legendis inſumta fuere.

Verum neq; horum imperitia & inſcitia quenquam deterreat â benedictis hiſce ſtabulis divinum nectar porrigentibus: jubeantur valere impoſtores, agyrtæ fumivenduli: ſpinæ, tribuliq; abjiciantur, roſæ eligantur.

Nemo ſubterfũgiat haud pœnitendum laborẽ; &, cum nõ lateres, lutum, ligna, lapides, tegulas, ſed corpus humanum nobiliſſimæ noſtræ artis ſubjectum ſit, nullis ſudoribus parcamus; utramq;, Medicinam & Chimiam, ceu DOMINAM & SERVAM conjungamus: ſic lœtis fortunata praxis ſurget honoribus, medicamẽta talia ſpes ęgrotantium felicius ſaturabunt, fructusq; ſanitatis uberiores ferent. *Medicina & Chimia tanquã Domina & Serva meritò cõjungũtur.*

Sed vino vendibili non opus eſt ſuſpenſa hedera, nec Chimia magno eget patrocinio: jamdudum enim ea ſe â contemtu vindicavit, de-

roforibꝰ tanquã hoſtibꝰ devictis triũphavit, multisq́; ſui deſideriũ & amorẽ inſinuavit in victoriæ ſolio collocata: hoc unicũ tãtũ in votis habẽs, ut â ſuperfluis liberetur, & in artis formam redigatur.

Hunc laborem in me derivabo, Ariadnæo filo Labyrinthum expediam, ſemitam ſtraturus paratam ductorem me ſiſtam. Accipite Philiatri diſcurſum hunc eo, quo traditur animo. Legite, judicate, ſiq́; rationi conſentanea, votisq́; reſpondentia fuerint deprehenſa, in uſum traducite.

Precatio Autoris.

DEUM etiam τρισμέγιστον mecum indeſinenter orate, ut unà cum purâ ſalvificâq́; Religione, quâ, DEO ſit laus ineffabilis, hucusq́; ſub umbrâ RUTÆ virentis fruimur, bonas artes ad unam omnes, & in illis Chimiam quoque conſervare, illisq́; incrementa clementer largiri, nosq́; poſterosq́; noſtros, ſi qui tamen futuri ſunt, contra omnes Satanæ, ejusq́; emiſſariorum machinas & ictus fortiter defendere velit. Amen.

SECTIO II. PROOEMII.
Continens definitionem & divisionẽ Artis Chimicæ

VOcabulum Chimiæ ambiguum esse, diversimodeq; à variis explicari constat, itaq; quid sub Chimiæ nomine velim, paucis explicabo. *Vocabulum Chimiæ variè hinc inde accipitur.*

Chimiam cum nomino, non intelligo totam illam disciplinam, quam Philosophi Chimici scientiam scientiarum indigitant, atq; cum ipsâ omnes scientias commiscent, & confundunt, inq; ipsâ tractari comminiscuntur, aut si quid amplius, etiam eâdem abuti volunt & audent. *Chimia quid sit apud Philosophos Chimicos.*

Instituti verò ratione Chimiam voco habitum Chimicum, quo qui præditus fuerit, poterit medicamenta Chimica legitimè præparare, & de præparatis, ut & descriptionibus eorundem aliquô modô judicare. *Chimia quid sit pro instituti ratione.*

Hunc Habitum, si quis comparare voluerit, necesse est, ut duo sibi proponat indaganda. I. Ignis gradus, qui & quot sint. II. Genera ignium, quæ & quot sint, & quæ operationes *Habitũ Chimicum acquirẽdi cupido quanã sint indaganda.*

Chimicæ ignis regimine & ejusdem ope exerceantur. Operationes enim quæ absq; his â Chimicis peraguntur, partim numero paucæ sunt, partim leviculæ & manuariæ, quæ omnibus patent, nec opus habent peculiari manuductione aut demõstratione.

Ignis gradus, & genera, operationesq; in iisdẽ peragendas qui callet, multum profecit in Chimicis.

Itaq; si de gradibus ignis, ejusdẽ generibus & operationibus in iisdẽ perficiẽdis, pro virili dixero, & demõstravero; satis superq; me dixisse & demonstrasse autumo; adeò ut sperem, intra paucas septimanas majorem fructum illos percepturos esse, qui secundùm hæc præcepta Chimica exercitia tentabunt, quam si per multas æstates, imò per totam ętatem sine horum cognitione varias, multiq; laboris operationes & destillationes tẽtassent. Varia enim qui tentat solum ex descriptionibus hinc inde extantibus sine ignis cognitione, næ similis mihi videtur ei, qui ignotam sylvam sine duce pererrat & sine cognitione seu annotatione certorum locorum pervagatur.

SECTIO

SECTIO I.
De gradibus ignis,
&quidem
CAPUT I.
De iisdem in genere.

Ne bis, tervè eadẽ de iisdẽ dicendo, nausea moveatur, antè omnia necessarium videtur declarare gradus ignis. Hi enim in omni genere ignis & in omni operatione recurrunt. Itaq; semel integrè eosdem explorare & demonstrare annitar. *Crambe bis cocta mors est.*

Hic notandũ I. me accipere ignẽ instrumentũ illud propriũ & precipuũ Chimiæ in strictâ significatione pro visibili & materiali tantùm igne, quô plerumquè uti solemus; non verò pro omni calore, qui ignis vim ostendit, igneosq; effectꝰ producit, uti sũt: *V. g. Destillatio ex refractione radiorum Solis, Digestio in fimô equinô &c.* propterea, quod hæ operationes partim non dependeant ex voluntate & potestate Artificis, *ceu inquit Libavius in notis ad Alchimiam cap. 9.* partim non sint ejus ponderis & necessitatis, quin iis- *Ignis hic accipitur in strictâ significatione.*

iisdem sine defectu Artis carere possimus.

Ignis grado ab autoribo non definiuntur, sed describũtur, saltem per comparationem & similitudinē.

2. Ignis gradus quatuor recensentur ab Autoribus Chimicis, quos præscribere impossibile esse, & tantùm Artificis discretioni committi *Ducanus Bornetus in Jatrochimico* pag. 5. scribit, & *paulò antè nempe* pag. 4. *candidè fatetur* apud nullos autores definiri, nisi per similitudinem aut comparationem, cum tamen omnes libri Chimicorum sint referti directionum talium farragine, & sæpius audiantur illæ vel similes admonitiones: *Sit ignis tam fortis, ut manum intra arenam vel supra alembicum continere poßis. Vel ut Sulphur, Plumbum, vel alia elaboranda in fluore, vel sine illo retineri queant.* Ut ut autem sese habeat hæc cognitio graduum ignis, tamē cognitu pernecessaria est, ut sine illa tractatio hæc mutila esset, adeoq; admonitiones & directiones prædictæ similesvè intelligi non possent. Itaque, ceu promisi, singulos singulatim eruere conábor breviter: Lectorem

ctorem plura & dilucidiora deſiderantem remittens ad *Sennertum l. 5. inſtit. Medicinæ.*

CAPUT II.
De primo Ignis gradu.

PRimus gradus ignis eſt infimus & leniſſimus, comparaturq; calori gallinæ ovis incubantis & pullos excludentis, vel calori Solis temperatò menſe Majô, & indicatur ex eô, quando manus ſuper fornacis ventilabro, quod vocant, continuò absq; læſione detineri poteſt: Vel quod ventilabrum unicum tantùm (ſi nempè parvum eſt) vel dimidium (ſi majuſculum ſit) apertũ ſit: Et cernitur propriè in primô gradu Balnei humidi. Hoc gradu ignis putrefactio, digeſtio, circulatio, (quæ à digeſtione inſtrumentis & fine differt) perficiuntur. *Primus gradus ignis comparatur variis rebus.* *Signa primi gradus ignis.* *Quæ operationes ope primi gradus perficiantur?*

Exempli loco exhiberi poteſt depuratio ſuccorum ex herbis expreſſorum, ut inde in quintam Eſſentiam, quaſi ſeu ſummam puritatem redigantur. Hi ſucci depurati vocantur à quibusdam ſucci Balſamici & in parvâ *Succi balſamici in parvâ doſi magnarum exiſtunt virium.*

in parvâ dosi magnarum existunt virium. *Digestio enim hæc*, seu inquit quidam, humores spissos subtiliat, aquositates & cruditates in succis concoquit, opaca illustrat, omnesq; fęces & impuritates, quæ intrinsecus antea latebant, separat, & graviores seu terrestriores ad fundum præcipitat; leviores verò, ut spumam superficiei innatare cogit: qualitates alienas corrigit & tollit, idq; vi & efficaciâ externi caloris calidum innatum (cujus virtute præcipuè opus absolvitur) in actum redigentis, hincq; continuitatem totius penetrantis facit.

Digestio quid præstet?

Exemplum digestionis est succorum depuratio.

℞. *succi becabungæ ex integrâ plantâ contusa per prælam fortiter expressi* ℔ iiij.

Huic adde

Spiritus vini ab omni phlegmate depurati ℔ j.

In vitro diligentissimè obturato repone in B.M. sine lentô calore digeri per tres aut quatuor dies noctesq;, vel etiam amplius.

Tantam quantitatem fęcum terrestri-

restrium deponit hôc modô quilibet succus, quantam nemo inesse crederet, nisi videret. *Deinde per chartam excola succū depuratum, relictis, quæ in fundum secessere, fecibus & firmissimè obseratô orificiô reserva usui: servatur enim in plures annos citra corruptionem.* Et hæc de primo ignis gradu.

CAPUT III.

De secundo gradu.

SEcundus ignis gradus describitur, quando ventilabrum aliquô modô, sine læsione, attamen non ita diu, & continuo, ut in primo gradu, attingi potest, & propriè exhibetur in secundô gradu cinerum: *cujus exemplum esse potest Rectificatio seu Purificatio Spiritus vini per spongiam in phiolâ peragenda.* Cui cum præmittenda sit alia destillatio *infra sect. 2. cap. 4.* tractanda, ad illum locum differam, ubi totam præparationem cum omnibus Encheirematis proponam.

Secundus ignis gradus quando cernitur?

CAPUT

CAPUT III.
De tertio Gradu.

Tertii ignis gradus descriptio.

TErtius ignis gradus cognoscitur ex eô, quandò calor sine presentia flammæ ex ventilabrô ita manum ferit, ut non possit eum perpeti, aut aliquantisper super idem quietè versari. Propriè demonstratur in tertiô gradu arenæ, exemplô sublimationis Sulphuris. Sublimandi SULPHURIS rationes verò variæ hinc inde apud Autores Chimicos cernuntur, quænam ergò eligenda sit, paucis docere videtur opportunum.

Sulphur sublimandi rationes variæ hinc indè prostant.

I. Ratio flores Sulphuris præparandi.

1. *Quidam recipiunt Sulphuris & Colchotaris Vitrioli partes æquales. Colchotar autem Vitrioli quomodò parari debeat exactè docuit Angelus Sala in Hemetologiâ suâ p 21. Idq; interprete Cl. Dn. D. Andreâ Tentzeliô.*

II. Ratio flores Sulphuris præparandi.

2. *Alii autores recipiunt Sulphuris libram unum & addunt*

Vitrioli calcinati ad rubedinem i.e. Colchotaris ejusdem

&

Salis tosti ana, ℔ß.

3. Alii

3. *Alii ad libram unam Sulphuris assumunt Vitrioli ad rubedinem calcinati; seu, quod idem est, colchotaris ejusdem atq; salis communis fusi seu tosti ana libram unam.* *III. Ratio flores Sulphuris praeparandi.*

4. *Alii aliam proportionem observant.* *IV. Ratio eosdem sublimandi.*

Hæc diversitas proportionum neminem quidem turbare debet. Non enim ratione operationis ita multùm refert, sive hæc, sive alia proportio observetur: modò ignem debitum administrare didicerit quis. Quò enim pauciora sunt additamenta, eò mitior ignis in sublimatione Sulphuris est fovendus: aliàs sulphur fusionem incurrit, & in fundô cucurbitæ detinetur. Si vero major eorum quantitas adjecta est; ignis fortior adhibebitur: aliâs nihil florum in altum elevaretur: ceu diserte explicat *Sennertus in Institutionibus Medicis cap. de floribus & sublimatis.* *Diversitas proportionũ non ita attendenda, quàm ingredientiũ.* *Ignis major fundendo Sulphur ejusdem sublimationem impedit.*

Hoc verò notatu dignum, à paucissimis tamen animadversum, quod flores Sulphuris, salis usti seu fusi commistione, reddantur

noxii & corrosivi quasi: quod exemplô Mercurii sublimati demonstrari potest, quem ante sublimationem minimè corrosivum, in sublimatione à duobus his invicem junctis, puta Vitriolô & Sale, nancisci vim corrosivam omnes ferè Chimici unanimiter testantur, neq; etiam secus docentes audiendi.

Verissima & tutissima ratio sublimandi Sulphur.

Sulphur igitur cum colchotare Vitrioli solò diligenter misce, & inde in cucurbitam vitream vel terream vitreatam, atq; impositô alembicô vitreô juncturisq; lutô (ceu multi præcipiunt) munitis, primùm lenem ignem adhibe, & duobus elapsis horis vapores humidi apparebunt, liquorq; acidus distillabit, qui excipulô cum rostrô alembici exactè unitô & perlutatô recipi debet.

Post horas 4.5. vel 6 flores ascendere incipient. Itaq; rostrum alembici, si anteà non fuit occlusum, lutô claude, ignem paulatim auge & sublimabitur Sulphur. Calor verò non intendatur magis, quam ut manum aliquandiu super alembicum sine læsione ejusdem retinere possis. Atque ita continua sublimationem

tionem, donec alembicus incipiat refrigerari. Indicatur enim hoc signô nihil spirituum amplius ascẽdere.

Operatio hæc ter repeti potest, ita tamen, ut flores sublimati omnes cum recenti colchotare prius benè triturentur & exactè commisceantur.

Non verò incommodum erit, si præsertim multum Sulphuris creditum fuit cucurbitæ, semel atq; iterum mutare alembicum, floresq; eximere, ne ex alembicô iterum decidant in Cucurbitam, & sic colliquentur iterum flores, protrahaturq; sublimatio.

Cautè tamen & celeri manu hoc agas necesse est, nî velis periclitari. Securior potest esse is, qui quandò videt alembicum floribus refertum, refrigerari omnia permittit, & posteà exemptis floribus de novô refocillat Vulcanum. *I. Cautela observatione digna.* *II. Cautela non minus necessaria.*

De usu florum sulphuris cumulatè præter alios docuit *Crollius in Basilicâ Chimicâ p.234.*

Obiter notandum, non esse imitandos illos, qui, ut flores sulphuris efficaciores reddant, addunt.

Florum sulphuris ℔iß.
Colchotaris vitrioli ℥vj.
Salis fusi ʒv.
Thuris, Mastichis a.℥iij.
Aloes succotorinæ purificatæ prius ℥iiij.
Croci ℥ß.

Omniaque trita atque benè mixta imponunt priori vasi, si sit adhuc integrum, vel recenti: additô alembicô in furnum reponunt, igneq; subdito sublimationem repetunt. Nam nihil virium sine combustione horum gummatum additorum accedit floribus sulphuris: Combustio verò Gummatum, si accedat, Flores sulphuris ingrati saporis reddit, ità ut à nemine assumi possint, adeò ut paradoxum in æternum sit, & maximè vapulet ab experientiâ multorum Magistra, qui hoc negat.

Notãdum præterea, quàm multûm florum sulphuris depereat ex hac actione: Ex dictà enim quantitate florum vix unciæ duodecim reiteratâ sublimatione restabunt: uti annotat *Crollius*, idq; non ex defectu artis aut erro-

errore artificis, sed vi mistionis. Consultius igitur ii agerent, si floribus sulphuris ter, ut dictum, sublimatis adderent prædicta gummata unà cum Crocô prius subtilissimè pulverisata, omissis tamẽ colchotare, & sale fuso, & additâ sufficienti quantitate sacchari vel Trageam componerent, vel Trochiscos exinde efformarent.

Paracelsus lib. de rebus naturalibus tomo 1 c.9.p.1046. sequentem compositionem commendat quod conservet quemlibet in sanitatis statu: *(quod tamen cum grano salis accipiendum est)* præservet præterea â peste, Pleurisi, febribus, putredine quavis, & Epilepsiâ: curetq; Epilepsiam puerorum atq; omnis generis tusses, plusquam dici aut credi possit, si singulis diebus jejuno stomachô aliquid ex illa usurpetur. Compositio dicta. *Florũ Sulphuris usus â Paracelso cõmendat9.*

℞. *Sulphuris purgati* ℥x.
Myrrhæ el: ℥ß.
Aloes epat. ℥j.
Croci orientalis ℥ß.
M.f. pulvis subtilissimus

qui ad placitum cũ saccharo cando edulcorari potest. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ Et tantum de tertiô ignis gradu.

CAPUT V.

De quarto ignis gradu.

Quartus gradus ignis quid est?

QVartus ignis gradus est, si gradatim à primô seu infimò ad reliquos ascendatur, ubi videtur quod calor præsente flamma etiam extrà fornacem maximô impetu feriat manum ventilabro admotam. Hic propriè cernitur in quarto gradu ignis aperti, atq; exéplô distillationis Vitrioli declarari potest.

Exemplum quarti ignis gradus demonstratur in destillatione Spiritus Vitrioli legitimâ.

℞. 🜖li ℔x. *aut plures, paucioresvé*

pro capacitate retortæ terreæ, vel vitreæ loricatæ, *illudq; ei inclusum crudum sine præmissâ calcinatione vel assatione*, uti vulgaris habet consuetudo, *impone fornaci ignis aperti, & claude desuper undiquè præter ventilabra, & aliud parvum foramen circa juncturas, ubi recipiens cum collô retorta lutô conjungitur.*

Postea

Postea subministra ignem primò lenem, deìn fortiorem paululùm, eousq;, donec collum recipientis senties calefieri.

Tunc eundē ignem pedetentim auctū continua usq; ad refrigerationem, seu mitificationem quandam prædicti caloris intensi in collo recipientis.

Hinc claude foramen illud & gradatim auge ignem, aperiendo ventilabrum unum post aliud, & injiciendo carbones plurimos, *donec videris Spiritum Vitrioli nubium instar albarum totam recipientis capacitatem replere.*

Hunc ignem continuabis tot horas, quot libras Vitrioli credidisti Retortæ, si nempe decem vel pauciores libras Retortæ incluseris.

Ultrâ duodecim horas tamen ignis non est continuandus. Diutius enim, si urgeretur, igne illô vehementi, prodiret Oleum Vitrioli corrosivum, quod Spiritum Vitrioli alienâ facultate inficit, ab eodēq; nullô ingeniô, nullô artificiô separari potest integrâ utriusq; manente substantiâ.

Oleum Vitrioli Corrosivum si in destillatione cōmiscetur Spiritui, ab eōdē nō potest separari.

 Liquo-

Ratio separandi phlegma à Spiritu Vitrioli, ejusdémq; rectificandi.

Liquorem destillatum, quando omnia refrixerint, lutô prius benè madefactô, exime, & cineribus in cucurbitâ vitreâ cum alembicô rostratô non accuratè clausô manda, inibiq; phlegma abstrahe, donec liquor in fundô residuus gratam aciditatem adipiscatur. Hunc remanentem liquorem inde retortæ vitreæ, ex arenaq; in cucurbitam vitream juncturis benè clausis, pelle.

Ita Spiritus Vitrioli probè præparatus est, ut careat omni corrosione, quâ vulgariter præparatus haud destituitur, polleatq; plurimis viribus, & volatilitate imprimis ac spiritualitate, ut sic loquar, vulgarē multis modis vincat.

Spiritus Vitrioli Epilepticus quid sit.

Dum verò hæc moneo, non ita ista intelligi velim, quasi putē spiritū dicta ratione destillatum eundem esse cum eo, qui in Apoplexia & Epilepsia utilissimus deprehenditur. Siquidem me non latet, quid de hoc *Fr. Basilius hinc inde, & Paracelsus tomo 1. p. 879.* annotatum reliquerint. Sufficit autem hac vice monuisse. 1. Spiritus Vitrioli subtilioris & salubrioris destil-

lationem

lationem non egere igne diuturno. 2. Plurimũ olei crasſi & corroſivi, dicto modo, in capite mortuo relinqui, & proinde tutiorem eſſe uſum hujꝰ ſpiritus Vitrioli, quam vulgaris.

Oleum Vitrioli corroſivum quomodo deſtillatur?

℞. ⊕ *illud, ex quò Spiritꝰ modò prolectus fuit, quod ad rubedinẽ calcinatum eſt,*

Inde in novam retortam & adde ſpiritus vini vulgaris ℥v. vel vj.

Stent in ea bene clauſa in frigido per tres vel quatuor dies.

Poſtea eandem repete actionem, & tamdiu urge ignem, donec nullæ nubeculæ albæ egrediantur. Demùm in B. M. ſepara ſpiritum vini, & in fundo reſidebit oleum ⊕li corroſivum.

Diſcurſꝰ de genuinâ deſtillatione Vitrioli, à quâ pauci pharmacopæi & deſtillatores non aberrâvêrunt.

Dicta deſtillatio cùm quamplurimis nova, ideoq; rejicienda videatur; Econtra verò vulgaris plurimos nacta patronos, paucis de iisdem diſſerere lubet.

Vitrioli quidem uſum quod attinet is, ut ſatis antiquꝰ, ita fructuoſus eſt, adeò ut ipſi à *Phædrone & Paracelſo* tertia pars Medicinæ adſcribatur, imò

Quercet. in Tetrade p. 365.

imò si *Quercetanum* audire volumus, in unicô hoc metallicô individuô appositè & exquisitè apparatô, & in ternas partes dissectô integram Pharmacopæi officinam comperire licebit.

Ex Vitriolô ritè preparatô & cultellô Chimicô dissectô tota officina pharmaceutica prodire potest.

Hinc *Angelus Sala de Vitrioli variis præparationibus librum* congessit, quem Anatomiam Vitrioli indigitavit, sicq; Quercetani verba approbavit, opinionemq; ipsius verissimam esse demonstravit.

De aliis verò præparationibus Vitrioli, præterquàm ejus destillatione, agere mei non est instituti. Ille minùs dextrè solet destillari, qui si dextrè apparatus fuerit, eximias illas dotes omnes, quas ipsi *Quercetanus in Tetrade* tribuit, ei inesse deprehendet Medicus, qui in usum secundum methodica medendi præcepta & indicationes ipsum vocare voluerit.

Vulgaris destillatio Vitrioli duos cōmittit errores non tolerandos.

Ut verò rem in pauca contraham, destillatio vulgaris duabus de caussis à me approbari nequit, duos quippè errores nō tolerādos cōmittit.

Primus

primus est, quod calcinetur Vitriolum ab aliis ad albedinem, ab aliis ad flavedinẽ. Secundus quod ignem violentum diutiꝰ, quam par est, adhibeant.

Causam primi erroris reddunt hanc: *Phlegma nempè sic facilè, quod post destillationem multum facessit negocii, evaporare.* Sed non animadvertunt isti unà cum phlegmate spiritum subtiliorem, quem solum quærunt veri Chimici, evaporare. Sanè, cum primùm vulgari modô didicissem destillare spiritum Vitrioli, nec in eô summam subtilitatem, volatilitatem, ac, ut ita loquar cum *Quercetanô*, spiritualitatem deprehendissem, statim de errore in illâ destillatione cõmisso cogitatio subiit mentem, quem tamen ob communem consensum olfacere nequivi, donec tandem *PARENS meus Zacharias Brendelius Medic. Doctor & Professor famigeratissimus*, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις chimicis studiis etiam in summo senio deditissimus, mihi scrupulum huncce eximeret, & quâ in re error committeretur, monstraret.

Ratio pro primo errore, & ejusdẽ refutatio. Calcinatio Vitrioli aquè spiritũ ejusdẽ subtiliorem ac phlegma tollit.

Ratio-

Sive calcinetur Vitriolũ, sive nõ, eadem ferè phlegmatis quantitas suppetit post destillationẽ

Rationẽ, quã afferunt, nullã esse ex eô colligere licet, quod sivè calcinetur sivè non calcinetur vitriolum, eadem ferè Phlegmatis quantitas finita distillatione separetur. Adeô ut satis mirari nôn potuerim hanc ipsorum rationem, quæ ab experientia refutatur, quam isti sibi patronum eligunt, & ad quem tanquàm ad MINERVÆ statuam, seu APOLLINIS Oraculum, & ultimum *(hac in parte ignorantiæ)* asylum confugiunt.

Alia ratio pro primo errore seu calcinatione Vitrioli.

Aliam rationem ego subdam, quę fortassis urgentior videri poterat: Inventores calcinationis eò respicere voluerunt, ut calcinatione segregetur Spiritus quidam impurus, sulphureꝰ, nihil aut parùm de Vitrioli substantia participans, receptaculisq; majorib. & preciosoribꝰ infestus & pernitiosꝰ, quem silvestrem appellitant; quod exindè cernere est, quod aliqui Vitriolũ ad flavedinem usq; assent seu calcinent, quô eò accuratiùs silvestris ille Spiritus *(qui ignem validum haud sustinet, sed statim ab eo fugit)* ejiciatur & exterminetur.

Ast

Aſt ſua ſpe utplurimùm fruſtrantur, præſertim illi, qui leviter ſolùm ad albedinem calcinatione redigunt vitriolum; idemq́; incurrunt judicium hujus ſpiritus, quod Phlegmatis ſeparatores. *Rectiùs ſanè agerent, meô judiciô, ſi dictam ἐγχείρησιν facilimam & utiliſſimam inter deſtillandum adhiberēt*; de quâ quidem multi multa blaterant, pauci tamen de verô iſtius uſu vera pronunciant, ſicq́; ſe neſcire quid loquantur, demonſtrant. ἐγχείρησις tamen illa facilius praxi docetur, quam calamô. *Refutatio ſecunda rationis.*

Intermittant igitur impoſterùm omnes Calcinationem Vitrioli, qui verum & λεπτομέρεια partium præditum Spiritũ ejusdem deſiderant, niſi ſimplicem errorem duplicare voluerint.

Hic enim primus error alterius erroris proxima cauſſa exiſtit, de quo jam dicetur. Si enim, quod res eſt, loqui volo, nullam aliam reddere rationem poſſum, cur nempè tàm violentum ſimul ac diuturnum ignem, in hujus *Secũdus error in deſtillatione ſpiritus Vitroli oritur ex primô.*

huj9 destillatione adhibere necessum habeant, quam quod calcinatione perdiderint verum spiritum Vitrioli. Ne igitur omnem operam ludant, extrema tentent, superos flectant, inferosq; moveant, h. e. supra & infra ignem augeant, adeò quidem ut carbones ipsis haud sufficiant, sed ligna quoq; pro majori flammâ conciliandâ igni devoranda præbeant, & ipsis eò major Chimicus cluere videatur, quo majori & diuturniori igne noverit urgere Vitriolum. *Ut taceam hac vice fornaces ultra tres ulnas altos & duas latos in hunc finem constructos*, mihiq; miraculi secreti instar ostensos.

Refutatio secũdi erroris. Quercet. in Tetrade p. 359.

Sed facessant hinc Magni illi sibi visi Chimici. Quemadmodum enim supra id, quod quærendum erat (hoc est, *verus Spiritus Vitrioli subacidus, subtilis & spiritualissimus*) perdiderunt, ita hic nacti sunt, quod hâc vice intactum relinquendum & in aliud tempus reservandum erat, nempè oleum vitrioli corrosivum, crassum atq; terreum, ac, quod ad partes remotas tendat, ineptum:

Ut

Ut reticeam violentô illô igne portionem veri ſpiritus poſt calcinationem adhuc reſiduam deperdi & abſumi. Quod unico teſte, omni exceptione apud Chimicos majore, in ſubſidium vocato, Chimiæ nempe noſtro tempore inſtauratore illo admirando *Quercetano* probare libet, *qui in tractatu II. de ſignaturâ rerum internarum p.124. apertê aſſerit*, Veri Spiritus Vitrioli majorem partem, eamq; meliorē evaporare, conſumi & deperdi, ſi modô, & ratione, quâ ſolent vulgò, igne illô magnô & violentô extrahatur.

Prima objectio contra opinionē autoris: quod oleum & ſpiritu Vitrioli non differāt.

Contra hanc meam ſententiam velitare ſolent varii variis argumētis. Aliqui enim illiq; numerô plurimi, nullam diverſitatem inter oleum & ſpiritum vitrioli agnoſcūt, ideò, quia ab igne, qui homogenea componere, heterogenea diſgregare ſolet, congregentur.

Reſponſio de eandem.

Quibus reſponſum volo: Verùm eſſe, quod ignis homogenea in unum

coire

coire faciat, si intelligatur id de unô eodemq; seu secundùm gradus simili igne. Sed cum diversus ignis adhibend9 veniat in præparatione spiritus Vitrioli, quàm à modernis alatur in prolectione olei ejusdem, quam nihil roboris hæc ratio, ipsi facilè vident. Si verbis meis fidem adhibere dedignabuntur, experiantur, præsertim siccioris & biliosioris temperamenti in seipsis, & quid egerint, deprehendent.

Secunda objectio; quod spiritus ab oleo separari possit: Hoc ♁. simpliciter negatur.

Deinde ajunt alii, ***Spiritum ab oleo separari posse***: Sed ajunt, non probant aut demonstrant. Nullâ enim ratione, nullô ingenio, nullô artificio separari posse, salvâ utriusq; manente substantiâ, supra dixi. Siquidem tàm arctè spiritus vitrioli (si modò calcinatio præmissa intactum aliquem reliquit) oleo inter distillandum unitur, ut nunquã segregari possint, nisi hoc fiat mediante digestione, cujus meminit *Quercetanus in Alexicaco p.266.* quâ oleũ instar terræ cujusdam copiosè ad fundum dejicitur, uti experientiâ constat, atq; sic Spiritus ab âcerri-

Oleũ ♁tri-oli terræ instar mediãte digestione à Spiritu separari testatur Quercetanus.

acerrimô suô oleô ita edulcoratur, ut instar syrupi cujusdam limonum gustui acceptus reddatur.

Commoda destillationis suprapositæ quædam recensentur. Ast quid opus tam longinquâ ac molestâ digestione, multorumque sumtuum profusione? Cum incommodum hoc in prima destillatione, & quidem cum magno fœnore & minoribus expensis evitari possit.

Nam hâc ratione (1) parcitur sumtibus expendendis pro carbonibus & lignis in diuturniore tàm destillatione, quàm digestione ab igne consumendis. (2) Tanta copia Spiritus Vitrioli è libris decem spacio viginti quatuor vel viginti sex horarum ad summum comparatur, relictô adhuc, ceu dictum, in colchotare oleô rubrô & crassô, quod vocat *Quercetanus*, peculiari destillatione & ἐγχειρήματι eliciendô, quantam illi vix è libris 40 vel 50 vulgari modò acquirent.

Tertia objectio, ejusdemque solutio. Alii dicunt: *Olei acrimoniam vehiculis ad morbum appropriatis, decoctis aut jusculis obtundi & dilui posse.* Sed illi, dum hæc objiciunt, ignaros se

Ratio conficiendi Vitriolum Martis.

facultatum olei Vitrioli palàm fatentur, ſiquidem vis ipſius effera vehiculis & liquoribus in actum deducitur, quod ſequenti experimentô probo.

Recipe limaturam Martis, h.e. ferri vel Chalybis partem unam

affundeq́ partes duas olei Vitrioli ab omni aquoſitate ſeparati,

ſicq́ ſine quieſcere per aliquot horas, oleumq́ hoc limaturam ferri ſeu Chalybis ita corrodet, ut digitis conteri atq́ in pulverem converti queat; Sed hæc corroſio fit absq́ ſtrepitu aut tumultu: Quamprimum verò affundes unam vel etiam alteram partem aquæ communis tãtus tumultus orietur, ut vix dici queat, vitrumq́ adeò incaleſcet; ut manibus teneri nequeat, vel quandoq́ etiam in plurimas particulas diſſiliat ſeu effringatur, fœtorq́ intolerabilis emittatur.

Eant nunc & diluant vehiculis oleum Vitrioli, qui volent, quô ſanè nihil aliud efficient, quàm quod oleũ igni addent; ſicque incommodum incommodô augebunt.

Ad

Ad experientiam autem felicem, qui provocant, de infelici magis muti, quam pisces existunt. Esto enim in corpore robustô, validô ac multis impuritatibus, iisque pituitosis refertô oleum hoc nullum damnũ in parva dosi attulisse. Sed quid fiat? aut factum fuerit circa alios, præsertim siccos admodum & biliosos, videant illi, qui Autores sunt, aut fuêre, ut in usum ascitum fuerit. Ego quam diu, per Dei gratiam, hujus vitæ usurâ fruar, nulli unquam svasor hâc in parte ero, & ut omnes imposterum idem faciant, hôc ipsô rogatum venio.

Quarta instãtia, ejusdemq; solutio. Quando & quibus prodest aut nocet oleum Vitrioli exhibitum.

Postremò objicient Pharmacopæi aliqui in copiâ possidentes dictâ vulgari ratione præparatum spiritum seu potius oleum: Abjiciendumné censes? Quod ubi factum fuerit, Exitio & perditioni haud levi erit ista abjectio. Quibus respondeo, me abjiciendum illum spiritum haud dictitare, sed tantummodò, intrà corpus tutò exhiberi posse, pernegare.

V. Instantia pharmacopaorum in copiâ possidentiũ oleũ Vitrioli, ejusdemq; solutio.

Verum usus ejus esse poterit in *præparatione Vitrioli Martis, Croci Martis Saccharini, Tartari Vitriolati. Turpethi mineralis, Florum Sulphuris albificandorum* luculentus & proficuus.

Usus & vires Vitrioli hinc inde cernere licet

De usu hujus spiritus multa inserere operæ precium non duco, cum de eôdem latissimè alii. Unum hoc addo, illum, qui statuere vult; Effectus spiritus Vitrioli tantùm dependere à qualitatibus manifestis, multas incurrere difficultates & incidere contradictiones, è quibus se non ita facilè, uti opinatur, expediet. Sed de hoc *Quercetanus* & alii consulantur, cum pro instituti ratione hæc de Spiritus Vitrioli præparatione sufficiant.

Colophonidis loco duo notabilia subjiciuntur: I. Cur hæc non alia exempla in declaratione graduum ignis proposita fuerint?

Colophonidis locô duo notanda veniunt: I. *Quærat quis cur nempè hæc exempla & non alia pro explicatione graduum attulerim?* Resp. Hoc ideò factum est, quia hę operationes exactam requirunt graduum observationem, adeò ut statim manifestum damnum experiri liceat, nisi iidem ritè observentur. Quicunque igitur plenam gra-

graduum cognitionem desiderat, in hisce operationibus sese exerceat sedulò.

II. Aliqui pro indice graduum habent doctrinam de pulsibus Chimicis, qui observari & numerari solent ad similitudinem pulsus horologici, quibus metiri solent Chimici tempus inter guttas præcedentes & subsequẽtes. Sed cum hi pulsus solummodò in destillationibus aquarum, & quorundam spirituum, numerari; In aliis verò operationibus vel in principio solùm earundem, vel quoque omninò non observari possint, generales indices esse minimè queunt. In rectificatione Spiritus vini quidem hi necessariò observandi, in reliquis non item. Et hæc de gradibus ignis sufficiat.

II. Doctrinā de pulsibus Chimicis nō esse sufficientem indicem graduum ignis.

In rectificatione Spiritus Vini pulsus doctrina utilissima.

SECTIO II.

De ignis generibus,

& quidem

CAPUT I.

De iisdem in genere.

HUcusq; dum gradus ignis exemplariter & comparativè descripsimus,

mus, sæpiùs facta fuit mentio generum ignis. Hæc itaque quæ & quot sint, quæque operationes singulis perficiantur, explicare conabor.

Divisiones variæ ignis materialis Chimici. Supra dictum, me ignem hic requirere materialem seu visibilem. Hic est vel *nudus seu apertus*, vel *cum medio*.

1. Nudus ignis quid? *Nudus est*, quando materia præparanda in suo vase immediatè igni apponitur.

2. Ignis cum medio quid? *Ignis cum medio* est, quando inter ignem & vas continens materiam præparandam interjicitur aliud vas, ita ut vas continens eam non imponatur igni immediatè, sed alteri vasi.

Ulterius inter hæc duo vasa, vel interjicitur aliquid, vel nihil.

3. Balneum siccũ quid? *Si nihil* interponitur, *Balneum siccum* dicitur, quod rectiùs Balneum vacuum diceretur.

Si verò inter illa interjicitur aliquid, Interjectum illud vel *humidum* quid est, vel *siccum*.

4. Balneum humidum. *Si humidum*, *Balneum* à Chimicis autoribus dicitur.

Siccum verò, quod circumponitur circa vas complectens materiam, vel est cinis, vel arena aut scobs ferri. *5. & 6. Ignis cinerũ, atq; Arenæ seu scobis ferri.*

De his generibus eô ordine posthac agam, prout quodlibet violentius alterô existit, ab infimô seu lenissimo initium faciendo, & sic deinceps progrediendo, donec tandem ad ignem vehementissimum perveniam. *Ratio ordinis inter dicta genera ignis.*

CAPUT II.
De igne balnei in genere.

IGnis Balnei, qui è reliquis infimus & lenissimus, cernitur, quando inter vas contiguum igni & inter continens materiam præparandam interjicitur aqua. Dividitur verò in Balneum *immersionis* & Balneum *Roris*, quod vaporosum quoque dicitur. *Balneum in genere quid?*

CAPUT III.
De Balneo vaporoso.

BAlneum vaporosum est, cum vas continens materiam destillandã non immergitur aquæ, sed tantum recipit vaporem aquæ calefactæ ab igne. Hujus structuræ variæ apud varios deprehenduntur, quarum tamen, *Balnei vaporosi structura duplex, ratione cucurbitæ & retortæ proponitur.*

quia parùm commodæ videntur, hâc vice meminiſſe non juvat. Commodiſſima autem videtur duplex ſtructura, ratione duplicis vaſis materiam deſtillandam recipientis. Vas recipiens enim materiam deſtillandam eſt, vel *Cucurbita recta*, vel *curva*, quæ aliàs *Retorta* dicitur. Ratione, inquam, horum inſtrumentorum diverſa requiritur ſtructura, quam αὐτοψία deprehendet, cum difficulter & mancè ſolùm deſcribi poſſint. Uſum itaq; hac vice indicaſſe ſufficiat.

Quæ operationes in Balneo vaporosô mediante cucurbitâ peragantur. Separatio menſtruorũ ab Extractis

In cucurbitâ rectâ per aſcenſum in Balneô vaporosô, ſecundùm *Quercetanum*, tutiùs ſeparantur menſtrua ab Extractis, quàm aliàs vulgariter, in Balneô Mariæ: ſiquidem illîc nulla eſt metuenda aduſtio extractorum, ceu hîc ſæpiſſimè contingit, niſi diligentiſſimè præcaveatur.

2. Præparatio decoctorum longorum inculpabilis.

Idem *Quercetanus in conſiliô de lue venereâ p.* 431. exemplô decoctionis Ligni Gvajaci ſvaſit hôc modô parare omnia decocta, præſertim longa, quæ vocantur; cum ſic nihil ſpirituũ exhalare & perire poſſit, quemadmodum

dum aliàs fit, si decocta vel ad duas tertias, si efficaciora requirantur, vel ad mediæ, aut ad minus, tertiæ partis consumtionem decoquantur. Impossibile enim est hanc tertiæ partis, aut medietatis, ut & duarum tertiarum consumtionem fieri posse, quin spiritus quoque exhalent, aut quodammodò consumantur cum istis partibus: quia certum est hos Spiritus aquâ tàm relictâ, quàm evaporatâ longè subtiliores & tenuiores esse.

Decoctorum Vulgarium reprehensio.

Ergò quoque probabile est eos primò exhalare.

In Balneô vaporoso alterô galeatô, *quod vocant*, per retortam vitream ex quovis lignô aridô, herbâ, aromate, ut & ex quovis vegetabili aridissimô in ramenta vel segmenta redactô per unum vel etiam alterum diē igne continuatô provenit liquor citrà alterius liquoris additionem, qui *balsamicus Liquor dicitur*, & in parvâ quantitate obtinet easdem vires, quas simplicis ejusdem obtinet decoctum. Hi liquores nauseabundis & morosis ægris egregiè inserviunt.

Operationes in Balneô Vaporosô galeatô, quæ peragantur. Vt I. Destillatio liquoris Balsamici.

II. Rectificatio olei succini. Rectificatur quoque in hoc balneo *Oleum succini* & quidem unica destillatio clarius & odoratius fundit oleum, quam si idem quater vel quinquies per cineres etiam lentissimô igne ab omnibus requisitô pellatur & rectificetur.

Hujus Balnei usus plures quotidianâ exercitatione cuilibet innotescent.

CAPUT IV.
De Balneo humido immersionis.

Consideratio Balnei Mariæ. De balneo roris seu vaporis cum sufficienter dictum videatur, nunc ad Balneum immersionis veniendum est.

Immersionis Balneum dicitur, Balneum Maris & Mariæ, notaturque literis initialibus B. M.

Ejusdem definitio. Est verò, quando vas continens materiam destillandam, mergitur in cacabum æneum, vel fictilem aquâ refertum & igne urgetur secundùm gradus adhibitô.

In

In hoc multæ perficiuntur operationes, videl. Destillatio & Rectificatio Aquarum ex herbis & succis earundẽ: separatio Phlegmatis à Spiritibus & Spirituum à Phlegmate, Extractio, Digestio (vegetabilium & animalium potissimum) seu Maceratio atque Cohobatio, *quæ à quibusdam ad macerationem refertur*. Uti enim maceratio continuâ menstrui præsentiâ materiâ mollificat, atque ad separationem cogit; Ita cohobatio ex multiplici affusione præstat idem. De quibus videatur *Bornettus p* 15.16.

Menstrua quoque vulgariter separantur ab Extractis Balnei hujus igne. Vulgariter dixi, quia modum hunc separandi rejicit *Quercetanus*, *uti cap. præc. dixi.*

1. Destillationis definitio, & apparatus.

DESTILLATIO definitur à *Bornetto* Operatio, quâ quod in corpore humoris est, vaporis specie ab eo separatur, qui postea à frigido ambiente congelatus in liquorem ab excipulo recipitur.

Notandum hîc 1. per destillationem igne Balnei perficiendam intelligi illam, quæ per ascensum fieri solet, & recta appellatur. Requirit hæc cucurbitam vitream vel fictilem vitreatam rectam, cùm simili vase rostrato, quod alembicum vocant, cui annectitur vas recipiens humorem destillatione prolectum.

2. Aquas efficaciores destillari in vesicâ ex herbis siccis, cum oleum ex herbis paratur, quam hôc modô beneficiô Balnei ex herbis viridibus, cujus rationem ex *Quercetano* cuilibet petere licet.

Rectificatio quid?

RECTIFICATIÓ nihil aliud est, quam repetita destillatio, aliâ appellatione respectu effectus, quem producit, ab Artificibus donatâ. Itaque eundem omninô requirit instrumentorum & operationis apparatum.

Cohobatio quid?

COHOBATIO à rectificatione fine tantùm differt. Uti enim finis hujus est perfectio operis, ita illius mollificatio.

Separatio Phlegmatis

SEPARATIO Phlegmatis à Spiritibus & spirituum à Phlegmate pari-

riter convenit cum destillatione, & proinde eundem quoque requirit apparatum, nihilque hic præter dicta monendum est, nisi quod aliquando Spiritus primò adscendat, ceu fieri assolet in destillatione Spiritus vini: aliquando verò Phlegma: uti in rectificatione Spiritus vitrioli & destillatione aceti contingit. *& Spiritus quid?*

Aceti quidem destillatio sic exhiberi potest: *Destillatio Aceti.*

℞. *Aceti vini acerrimi quantitatem eam, quæ placuerit.*

Ab eâ abstrahe in Balneô partem dimidiam, & egredietur Phlegma, seu pars aquosior inepta ad solutiones duriorum corporum, coralliorum videlic. & similium. Usus tamen hujus aliquis esse potest in Extractionibus quibusdam, *æris e. g. viridis pro conficiendo vitriolo veneris* & aliarum tincturarum.

Residuam partem aceti transfer in arenam, & destilla ferè ad siccitatem, cavendo tamen accuratè, ne acetum destillatum nimiâ ignis vi empyreuma contrahat, aut fæces simul cucurbitam transeat.

Sva-

Vulgarium quorundam Chimicorum opinio rejicitur.

Svadent hic aliqui Destillatores Vulgares, ante separationẽ Phlegmatis, Acetum frigori exponendum esse, ut ab eo cogatur, sicque citius & facilius postea Phlegma separari. Sed hi boni viri eô ipsô ostendunt, se parum peritos doctrinæ Physices. Metuendum enim est, si hoc fiat, ne desiderati Spiritus aceti à nimio frigore exprimantur, ac exhalent, & Phlegma solùm cum paucâ quantitate spirituum relinquatur.

Alia ratio destillandi acetum acerrimum.

Aliqui duas partes Phlegmatis ab acetô separant. Sed hæc opinio locum solùm habere videtur, quando acerrimum acetum pro solvendis durissimis quibusdam corporibus desideratur.

Destillatio Spiritus Vini compendiosa.

Destillatio Spiritus vini verò compendiosa talis esse potest.

℞. *Vini generosi mensuras octo; Destilla per vesicam cum refrigeratoriô partem ferè dimidiam Hanc transfer in Balneum & iterùm leni igne partem dimidiam extrahe Tandem hanc infunde phiola longi colli, cujus orificio applica spon-*

ſpongiam priùs madefactam, atq; iterùm expreſſam, eamq; ita intrude, ut nullâ parte emineat, ſed filis eandem alliga, ne in phiolam decidat, & arctè claude orificium phiolæ. Hinc appoſitô alembicô per cineres deſtilla, & egredietur Spiritus vini tenuiſſimus & puriſſimus.

Hartmannus, Chimicus ille clariſſimus, per vinum generoſum intelligit vinum Hiſpanicum vel Creticū, cujus ſexta pars eſt Spiritus; vel Rhenanum optimum, quale Bacheracenſe, cujus pars octava ſolum eſt Spiritus, Reſiduum omne nihil niſi phlegma eſt. *Vinum generoſum quodnam ex ſententiâ Hartmanni.*

EXTRACTIO eſt ſeparatio eſſentiæ ex corpore, mediante menſtruô competente. Fit verò beneficiô macerationis & digeſtionis, quibus comparatur tinctura, & attrahitur à menſtruô, atque poſtea vel per evaporationem vel deſtillationem ſeparatô menſtruo, corporis eſſentia in fundo relinquitur. *Extractio quid?*

MENSTRUUM verò nihil aliud eſt, quam liquor adjectus rei extrahédæ, cui communicatur tinctura, & di- *Menſtruum quid & unde dicatur?*

ci-

citur menstruum à Mense Philosophico, seu tempore digestionis durantis. Mensis autem Philosophicus non est unus idemque omnibus. Nam aliquando est plurium dierum v.g. 25 30. vel etiam & quidem utplurimùm 40. Aliquando pauciorum v.g. 3 7. vel 9. dierum pro extrahendæ & digerendæ rei Naturâ.

Mensis Philosophicus varius est,

Varium similiter est menstruum pro rei extrahendæ naturâ. Aliquando enim Extractiones fieri solent cum *aquis destillatis* seri, lactis, pomorum redolentium, ulmariæ, carduibenedicti, fumariæ, vel aliis, pollentibus qualitatibus, videlic. & proprietatibus, Extracto conficiendo congruis, illisque acidulis redditis cum succo limonum, vel Spiritibus Vitrioli, Sulphuris, Nitri, de quibus consulantur *Quercetanus in pharmacopœâ dogm. restit. c. ult. & Beguinus in Tyrocin Chim. lib.* 2. *c.* 9. Hujusmodi Extractionis exemplum erit Extractum foliorum SENÆ orientalis. Ex RHABARBARO elegans TINCTURA rubicundissima sangvinis instar hoc modo extrahitur.

1 Modus extrahendi essentias seu parandi extracta.

℞.

℞. *aq. cichorii q s.* *Tinctura Rhabarbari*
rhabarbari pulverisati q. vis.
Macerentur per horam.
deinde affunde Salis ♀ per deliquium in cella resoluti.

In momento, leni digestione elicitur tinctura elegantissima, quam vel sic asservare, vel Spiritu ⊕li præcipitare, & in formam pulveris redigere possumus.

Gratiosissima hæc Tinctura per se vel alio vehiculo libenter ab ægrotis adsumitur; prodest Jecoris imbecillitate & obstructione laborantibus; in quacunque cachexia singulare est auxilium.

2. Modus parandi extracta. Aliquando parantur Extracta beneficio *Spiritus vini simplicis*, aliquando verò tartarisatus est commodior. Uterque commodus est in *Scammonii*, *Gommi Gotte*, & *Gialapii* extracto parando.

3. Modus parandi extracta. Aliquando extrahuntur Essentiæ beneficiô *aceti destillati*, ceu *Quercetanus* jubet fieri in præparatione Extracti Opii, quod basis vicem sustinet in ipsius Laudano primo, de quo consuli debet ipse *in pharmacopæa dogm.*

D re-

Extract. opii cum aceto. *restitut*. Paratur autem hoc modo:

℞. *Opii Thebaici tenacis nec marcidi q. v.*

Scinde in bracteolas tenues & exiguas, ac in scutella vitrea seu terrea vitreata lentó igne arenæ exicca tantisper, donec sponte suá digitis in pulverem comminui possit, & benè ac aromaticè oleat. Ab initio enim propter crassum & fœtidum sulphur commixtum valdè fætet. Fiat itaque hæc evaporatio in loco perspirabili, aliàs fœtor iste gravia excitat symptomata, & somnum incurabilem. *Ablató vel evaporatô hôc sulphure fœtidô, in quo omnis consistit vis narcotica, extrahe cum aceto destillato supereminente opium correctum ad quinq; vel sex digitos, & aliquandiu in calido relinque. Acetum destillatum coloratum à fœcibus per filtrum separa, rursumq; recens acetum destillatum affunde residuis fœcibus. Id ubi repetitâ digestione colore rubicundo tinctum fuerit, priori modô separa, & ab ulteriori extractione cessa. Acetum coloratum omne in B destilla usq; ad mellaginem seu extracti formam.*

Hoc

Hoc extractum basis est Laudani opiati *Quercetani*, quod cum non satis laudatum medicamentum absq; controversiâ habeatur; siquidem quotidiana Experientia infinitis & innumeris exemplis id attestatum facit, cui ne unicum quidem in contrarium objici potest, ubi idem medicamentum dextrè præparatum & legitimè secundùm Canones Medicos exhibitum fuerit, paucis mox de eodem agere lubet, ut & illi, qui de ejus præparatione diversum sentiunt, in viam reducantur.

Extractum opii basis est Laudani opiati medicamenti non satis laudati.

De Separatione menstruorum ab Extractis non est, quod quis multùm laboret. Est enim eadem operatio cum Destillatione supra declaratâ.

Separatio menstruorũ concurrit cũ destillatione

Hoc saltem observandum est, quod pauca quædam Extracta singulare quid requirant in separatione menstruorum. Exemplo esse potest monitum *Quercetani in pharmacop. dogmat. restit. pag. m 676.* Extracta si magis gummosa & sulphurea sint, quæq; ex ligno plus oleoginoso; veluti

Pauca quædam extracta peculiare quid requirunt in separatione mẽstruorũ. Ceu I. Extracta ligni Guajacini,

Laurini, Juniperini & similium

Guajacinô, Laurinô, Juniperinô & similibus educuntur, post menstruorum suorum separationem aliqualem non totalem, quæ hic locum non habet, in aquam injicienda esse, ubi statim coagulabuntur.

2. Extractū Diagrydii, quod parum differt à pulvere polychresto quibusdam sic dicto.

Idem monet *Crollius in Basilicâ Chimica p. 142.* in Extractô Scāmonii, quod etiam hoc proprium obtineat, ut fundum petat, antequam menstruô privetur. Itaque si tale Extractum perficiet quis, duas solùm partes Spiritus vini vel alterius menstrui per alembicum separet, & ubi balneum refrixit, iterùm eximat, in quo ad fundum videbitur dejectum Scammonium, vel pendebit in residuo liquore instar liquidæ picis colore pellucidô. Separatio hæc in Scammonii extracto acceleratur aquâ frigidâ, infusâ.

In reliquis extractis menstruum probè sepa-

Sed plura alia extracta, quæ non adeò oleaginosa sunt, non coagulantur, priusquam omne Menstruum separa-

paratum fuerit, unde hæc tantùm coquenda ad eam consistentiam, quæ placuerit, v. c. ad sapæ vel paullò minùs aut ampliùs ficciorem rediges. Quo diutius enim coques Extractum, illud præsertim, quod sine spiritu vini præparatum, humiditatem ejus magis evaporando, eò aptius diuturniori conservationi efficies. *randum, si diu asservandi ea animus.*

Hæ tamen omnes operationes etiam in cineribus commodè institui queunt.

DIGRESSIO AD CAPUT IV. *De Extractione Opii ad Laudanum Opiatum.*

Quamvis tot ferè inveniantur descriptiones, quot Medici, imo eò devenerit, ut aliqui sibi vitio ducant, si communem usitatamque, aut ab alio medico ordinatam descriptionem imitentur, neque peculiarem vendicent, & sic nescio quos aureos montes pollicitentur; OMNES tamen segregari & dispesci possunt in duas acies, quibus distincti præsunt Duces & Antesigna-

gnani, qui quidem & ipsi suas videntur variare descriptiones. In BASI tamen OIIO & HYOSCIAMO, ut & menstruo aceto vel spiritu vini, vel faciunt cum CROLLIO aut cum QUERCETANO.

Acies Crollium sectans in praeparatione Laudani copiosa & inclyta est.

Acies *Crollium* sectans quamplurimos obtinuit Fautores, inter quos quondam Archiater quidam Electoralis, tanquam lampas quaedam eminet, cujus correctam Crollianam descriptionem, uti annis abhinc aliquot Fratri meo p. m. secreti instar sub propriâ manu communicata est, subjungemus.

℞. *Essentiae opii ritè cum Spiritu vini praepar.* ℥vj.
rad. hyosciami vulgaris eôdem praepar. ℥iij.
Specier. diambrae
Diamosch. d. a. ℥v.
Pulv. Mumiae vitae Angeli Salae ℥j.
Magisterii Margarit.
Corallor. rubr. a ℈ij. *g.* v.
Succini albi ritè praeparati.
Bezoartici mineralis c. auro exaltati, aut succedanei cujusdam Bezoartici. Ter-

Terræ Sigillatæ Turcicæ.
Ossium de corde cervi.
Salis volatilis C.C a.g. xv.
Ambræ ,
Moschi a g. viij.
Ol. anisi
Carvi
Cortic arant.
Citri.
N. Mosch
Caryophyll.
Succini albi omnium destillatorum a. g xij.
M. L. A f. massa.

ALII hyosciamum quidem omittunt, sed tamen Opium cum Spiritu vini extrahunt, miscent extracta specierum diambræ, diamosci, aromat. rosati, itidem cum vini spiritu parata, deinde alia cordialia & olea calida addunt. Imitati in hoc ANTIQUOS, qui falsâ hypothesi, opium frigiditate excedere & nocere, seducti, idem calidis medicamentis pipere, croco, euphorbio corrigebant.

Quercetanus autem à *Crollio* recedit, *Quercetanus in præparatione Lau-*

dani secces-sione facit, dum i. exiccat opium, & quidem ob rationem evidentem.

Dùm priùs præparat seu exiccat opium, antequam ex illa extrahat Essentiam. Et hoc quidem ob evidentem & firmissimam rationem, quam proponit *in pharmacopœa restit. p. 603.* Opium crudum & minus præparatum est tantum Venenum, quod paucorum granorum pondere vitæ spiritum suffocat & extingvit, & letheum æternumque somnum, h. e. mortem ipsam inducit, sicut id sæpenumerò contingere solet. At contra si illud rectè præparatum fuerit, quod paucis horis, & facilimô negociô fieri potest, ex noxiô innoxium, & ex perniciosô ac lethiferô soporiferôque venenô utile & vivificum Anodynum reddetur, quod instaurabit spiritus naturales, sedabit spiritus perturbatos & nimiùm exagitatos, ipsisq; svavem & dulcem inducet quietem.

Hæc

Hæc idem deducit *clariùs & quidem pluribus p. 645. & seq.* quo lectorem brevitatis studiô relego, & *paulò post p 656. & 657.* subjungit modum atque rationem præparandi opium, seu quod idem est, separādi ab eô sulphur quoddam narcoticum, stupefactivum, inflammabile, fœtens, & indigestum, quô plurimùm abundat opium, & à quo sulphure facultates illas malignas potius dependere, quàm à frigiditate ejusdem nimia perspicuè hinc inde demonstravit.

2. Deinde etiam *Crollius* incurrit in reprehensionem *Quercetani*, quod opii essentiam elicere jubet spiritu vini, in quo prius maceratus fuerit pulvis specierum diambræ: Propterea quia vera correctio Opii non in spiritu vini, aut aliis rebus igneis summeque calidis indaganda sit, sed potius in aceto tàm montanô, quàm vulgari in succo acidulo limonum & similibus, quæ vim & proprietatem Vitriolatam participant. *2. dum aliô menstruô tincturam opii elicet.*

Imitatus in hoc fuit Præceptorem *Paracelsum, qui Archidoxorum li-*

bro 7. capite de specifico Anodyno.

℞. *Opii Thebaici* ℥j.

Succi Aurantior. citoniorum a. ℥vj.

Cinamom.

Caryophyllor. a. ℥j.

Miscet bene contusa & vase cooperto digerit ad Solem, vel in fimo equino, ad Mensem j. Expressione facta addit:

Mosci ℈ß. *succi corallorum, ambræ* ℈iiij. *magister. perlarum a* ℈ſ.

Croci ℈ſ.

Facta iterum digestione per mensem addit.

Quintæ essentiæ auri ℈ß.

Et hoc suum specificum anodynum multis extollit laudibus.

Si quis autem hæc, quæ de aceto montano & similibus commemorantur, in dubium trahere ausit, is sibi in memoriam revocet aut legat, quæ idem ex *Celsi lib. 6. cap. 2.* repetit *in prænominata pharmacopæa pag 606. & alibi passim*, quibus præ cæteris correctivis, quorum operâ gummata calefacientia & ſucci venenati, inter quos opium col-

collocandum esse supra demonstratum, corrigantur, probat acetum facilè primas tenere.

Instantia pro sententia Crollii & ejusdem refutatio.

Nec hîc illa objectio locum habere potest; Spiritum vini esse igneę Naturæ, tenuium & aerearum existere partium, cruditatesque simplicium digerere valere. Venena enim & venenata propriè dicta non corriguntur aut digeruntur ab iis, quæ caliditate vel frigiditate, aut cæteris qualitatibus manifestis solùm agunt; Sed opponenda iis veniunt alexipharmaca, quæ totâ substantiâ, aut occultâ quâdam proprietate venenis & venenatis contrariantur, aliàs in illa agere non sunt apta menstrua aut medicamenta, quæ correctionis vicem obtinere debent. Talem autem vim Alexipharmacam, inesse Spiritui vini, nullus adhuc, quantùm ego quidem scio, ausus est affirmare. Ast acetum edomare multa venena, corrigere venenata, venenorumque impetus furiosos cohibere, præter quotidianam experientiam *Celsus locô superiùs allega-*

gatô & alii probati Autores passim attestatum eunt.

Alia ratio, cur Spiritus vini aptum menstruum in extractione opium minimè habeatur.

Sed præter hanc allatam rationem aliam superaddere possum, cur Spiritus vini verum menstruum pro eliciendâ essentia opii esse nequeat. Spiritùs vini enim nihil præter sulphur cujuslibet rei extrahit, sicque sal intactum relinquit. Cum itaque sulphur opii calcinatione prædictâ perierit, sicque nihil ampliùs in opio reperiri queat, quod tincturam spiritui vini tradere, aut committere possit, absque fructu aut optato effectu idem Opio superinfundetur. Et hac de causa mirari desino, cur multi magni viri in præparatione Laudani opiati contra expressam, firmissimisq; subfultam rationibus obtestationem *Quercetani* opium crudum potiùs, quàm præparatum assumere maluerint. Caussam quidem alicujus momenti statim subesse suspicatus sum, cùm præsumtio fuerit apud me, quod tanti viri non facilè peccent. *Sine dubio usu quibusdam venit, ut ni-*

nihil aut parùm tincturæ, illudq; minimè respondens voto, Spiritu vini assequi ex opio præparato potuerint; ob modò allatam istis verò incognitam rationem: hincq; nihil veræ tincturæ in opio præparato residère ampliùs, imò præparatione illa amitti veram tincturam perperàm collegerunt.

Sed hi fortassis non satis attentè perlegêre scripta *Quercetani*, aut ejusdem fundamenta non satis ponderârunt, aliàs ut opinor minimè statuissent, sulphur illud narcoticum & quasi lethale (quod etiam in præparatione, ceu monitum, evitari debet: *nisi enim evitetur, gravia excitat symptomata, inprimis somnum incurabilem*) debere sortiri basin in Laudano opiato.

Præterea ex hoc suspecta esse potest descriptio *Crolliana*; quod tantam congeriem oleorum calidissimorum quàm plurimorum requirat. Ut taceam hac vice nimiam illam dosin (propè dixeram immensam) specierum illarum preciosarum, diamoschi videlicet, & diambræ, ineptamque insuper repetitionem moschi & ambræ, *Refutatio opinionis Crollianæ alia.*

bræ, pompoſamque illam jactantiam de Bezoartico minerali cum auro exaltato.

Sulphur opii non corrigitur calidis, quâ caudis.

In quem enim uſum addantur tot olea, & quidem in tanta quantitate, non video, niſi quod vim ſtupefactivam ſulphuris prædicti frigidam eſſe autument, proptereaque calidiſſimis iiſque numero plurimis corrigere & emendare velint.

Hoc tamen fruſtrà tentatur, 1. cùm monitum ſit quod ſulphur illud non corrigatur calidis, quâ calidis: 2. atque ſatis ſuperque correctiones tales *Autor Tyrocinii Chimici* taxet, itaque unicum addendum ſolùm videtur. Videant ipſi, quidnam effecturi ſint, effecerint, & efficiant, ſi exhibuerint laudanum hoc cum tantâ farragine oleorum deſtillatornm, præſertim ſi laudanum opiatum in febribus malignis & aliis morbis calidioribus exhibere neceſſum habeant. An nonne oleum igni, ceu proverbialis fert locutio, addituri ſint, aut addiderint? Facere igitur nequeo, quin ipſiſſima verba *Quercetani* huc adferam, quibus ſuam

suam descriptionem omnibus commendatam vult, & eidem colophoně imponit: Ut verum fatear, ego hic exhibui Laudani opiati descriptionem, quà nullâ possit esse inter opiaticas compendiosior; nulla facilior aut præstantior.

Et quidem eô fine adfero verba hæc, ut cogitent *Crolliani*, an idem de *Crollianâ* descriptione jure referri queat. Cum verò ob rationes allatas quis cordatorum cordatè hoc affirmare vix ac ne vix quidem possit, rogatos omnes velim, ut imposterùm potiùs sequantur *Quercetanum*, quàm *Crollium*. Et hoc etiam ob sequentem rationem, quod ipse *Crollius* fateatur, se omnia sua medicamenta Chimica accepta referre amicis, illisque fidere; non verò ut *Quercetani* mos est laudatus, prius ad trutinam veritatis appendere, & videre, an illa cum fundamentis Physices conveniant, nec ne. Et hæc de præparatione opii; nunc de mixtione Hyposcyami.

Notabilia quædam de Hyoscyamo, ex Hartmanno,

Hîc operæ precium existimo, si

ea

ea huc transscripsero, quæ *Hartmannus & Gluckradius in commentariis exquisitissimis super tyrocinium chimicum in descriptione Crolliana* desiderat: *Laudani virtutes*, inquiũt, *nemo satis dignis laudibus ad cœlum usq; elevare potest, si modò non periculosâ præparatione, ut perperàm à multis Parachimicis fieri solet, ex anodynô reddatur narcoticum, quod nempe stuporem & lethum invehendo, caloremspiritumq; nativum, extingvendo corpus sensu privet. Cæterùm hâc vice solùm quærere libet, an Hyoscyami tinctura, quomodocunq; parata, utilis, necessariaq; sit ad Laudani confectionẽ? simpliciter negamus, Respondent.* Hyosciamus enim est narcoticum vehemens, adeoque deleterium, ut non tantùm in hominibus insaniam, capitis vertiginem & veternum inducat: verùm etiam, *teste Æliano*, pastu illius resolvantur apri, hincque quoq; suilla faba appelletur.

Essentia hyoscyami magis noxia videtur, quã succus ejusdem.

Deinde tantùm abest, ut hanc suam vim correctam vel retusam exhibeat ejus tinctura, ut potius propter summam tenuitatem, quam à vehiculo,

lô, i.e. Spiritu vini, habet, cujus nemi-pe ministeriô extrahitur, eandem magis noxiam prodat. Repagulis enim crassitiei ipsius remotis, clandestinè in omnes corporis cavernas sese insinuare potest. Nec abest experientia, balsamum alterci vel minimâ quantitate assumptum frigidissimam, maximèq; lethalem ægro communicasse facultatem. Mirum itaque non est, quosdam hoc sumto Laudano Endymionem somno superasse, alios furiosos, aut amentes evasisse.

Paracelsus in confectione Anodyni specifici secludit essentiam hyoscjami.

Hanc ob caussam dubio procul à *Paracelso* in confectione Anodyni specifici assumptus non est *Hyoscjamus*. *Quercetanus* eandem in prima descriptione, quam elegantem habet *in pharmacopæa sæpiùs citatâ c.24.* meritò quoque excludit.

Ratio, cur anodyna in usum ducantur.

Mitigando verò dolori ideò remedium hoc adhibemus, ut, dum hic cessat, vires enervatæ recolligantur, ægerque respiret; quô facultates corporis morbo reluctari, & curationis spatio sufficere valeant. Si autem ca-

lor nativus vacillet, corpus etiam cacochymiâ scateat, exhibitâ stupefaciente tincturâ facilimè calor cæteroquin langvidus & paucus extingvitur. Absit igitur à Laudano laudato illaudatus Hyosciamus. *Hactenus ille.*

Et quidem graviter invectus est in hyosciamum, ejusque tincturam seu succum præparatum, ob summam & nullâ unquam præparatione corrigibilem vim deleteriam: quæ tamen omnia ferè pari passu ambulant cum sulphure Opii narcoticô, aut meritò de ipsô dici possunt. Uti igitur prædictum sulphur Opii & Hyosciamus inter sese conveniunt, ita similiter à confectione Laudani exulare debent.

Descriptio Laudani opiati tutissima & maximè proficua.

Ego *Essentiæ* secundùm præscriptum *Quercetani* supra adductum, *præparatæ solitus sum Extracti Croci, Soluti Corallorum & Margaritarum mei, ana partes æquales addere, cumq; Spiritu Vitrioli ritè destillatô ad debitam consi-*

fistentiam redigere, unde eos semper expertus fui effectus, quos optavi, nullis symptomatibus, quæ aliàs solent, supervenientibus, si nempe alio, quam prænominato, modo præparatum fuit.

Hæc verò ex mente aliorum, imò maximâ ex parte verbis quoque alienis cum quibus tamen totus consentio, ideò edisserere volui, ne si à me solùm hæc dicerentur, à plerisque conculcarentur, præsertim illis, qui non attendunt quid, sed à quibus id dicatur.

Cum autem hi viri hancce sententiam mecum foventes sint omni exceptione majores, & quemvis contradicentem facilè convincere valeat, spero hæc haud fore ingrata aut contemptibilia, sed potiùs ambabus, quod ajunt, manibus ea à quamplurimis (optarem omnibus) excepta & accepta iri.

Objectio & ejusdem refutatio.

Addo verò & hoc contra eos, qui objicere mihi possent, alienis plumis me vestitum in scenam prodiisse, quod

quòd ingenuè fatear, per quos profecerim, & unde hæc hauserim. Et hâc ratione sua quemq; laus manet, nempe illos Laus Inventionis: Me mea, quod studio indefesso hæc egregia inventa addiscere, & aliis inculcare non desinam, præsertim cùm hæc nondum rectè intellecta apud plures vilescant.

Ratio instituti.

Cur autem hoc faciam, si quæratur? *Respondeo;* ut alii & quidem ingenii cultioris & eruditionis altioris viri excitentur ad examen medicamẽtorum Chimicorum, quæ in pharmacopoliis hincinde prostant, ne dum talibus minus dextrè præparatis fidentes, & quandoque minus felicem insperatumque successum medicamentorum istorum deprehendentes, culpam rejiciant in ipsa medicamenta, sed in eorundem elaboratores, qui quandoq; Φιλαυτίᾳ inflati alios præ se susque deque ferentes, sapientissimi sibi videntur, & quorum acta & facta ab omnibus reverenter habeantur, cum tamen vix ac ne vix quidem primis

Plura sunt vitia quorundam Chimiæ deditorum, quam enumerari possint.

mis labris deguſtârint fontes Chimiæ limpidiſſimos.

In quam ſententiam multæ hinc inde apud Autores graviſſimos extant admonitiones, è quibus tamen ſolùm eam afferre placuit, quam habet *celeberrimus ille Chirurgus Guilielmus Fabricius Hildanus*; *Caveant ſibi*, inquit, *Medici, ut medicamenta Chimica in officinis, quæ non ipſe Pharmacopola, & quidem præſente aut conſentiente Medico paravit, ſed neſcio undenàm apportavit, facilè præſcribant.* Hoc ubi factum fuerit, medicamenta Chimica minùs odiosè à malevolis traductum iri ſpes eſt. Siquidem ob minùs dextram & legitimam præparationem eadem multis calumniis obnoxia eſſe ſolent, quod tamē non timendum eſſet, imò floreret & beata eſſet Chimia, ſi Medici ipſi eſſent Chimici, aut Chimiæ Amatores & Exploratores.

Floreret Chimia, ſi Medici ipſi excolerent eandem.

DIGRESSIO ALIA AD CAPUT IV.

De Extracto Scammonii.

QVia in antecedentibus mentio facta fuit Scammonii, lubet paululùm digredi, de eo, ejusdemque usu & verâ præparatione quædam notatu digna in medium proferre, cùm pauci de eo hucusque rectè senserint, & docuerint.

Divinum medicamentum est Scammonium, ob usum, quem in purgando præstat, mirificum.

Divinum medicamentum habitum esse Scammonium exinde cuivis facilè colligere est, quod omnes pulveres, pillulæ & electuaria purgantia, quæ illud in sese basis instar recipiunt, ab omnibus summis laudibus ad cœlum usque ob usum mirificum, *uti loquuntur*, quem in purgando præstant, extolluntur.

Rarò, timidè & parcè in substantia exhibetur.

Quî autem fiat, quod in substantia non nisi rarò & timidè, manuque parcâ (*etiamsi ab ipsis ita præparatum fuerit, ut aliud nomen sortitum sit*) præscribatur, satis mirari nequeo. Descriptiones enim in dispensatoriis authenticis contentas si examinaveris, Diagry-

Diagrydii. Largior dosis in com-

grydii dosin non duo, tria vel quatuor grana (*qua dosi alias exhiberi solet*) reperies, sed quandoque septem & dimidium, ut in pillulis Alexandri de Nitro; vel sex ferè, ut in pulvere solutivo Magistrali Stockstaldi descripto ab Augustanis Anno salutis 1580. qui paucis exceptis idem est cum pulvere laxativo Dispensatorii Noribergensis Anno 1599. editi; Vel grana decem, imò undecim fermè, ceu in Electurio Episcopi; imò plura, si major horum dosis robustis conveniens assumeretur.

positis medicamentorū formulis cū aliis validioribus ex autoribus proponitur.

En! hanc dosin Diagrydii in compositionibus dictis cum aliis multis & interdum quidem purgantibus violentis, *Helleboro & Euphorbio puta*, non verentur exhibere, hancque rationem addunt; quod in dictis medicamentis Scammonium probè præparatum sit, & prætereà multa corrigentia addita deprehendantur.

Medicorum rationes pro Diagrydio usitato.

Sed ut primùm præparationem Scammonii videam, quàm probè præparatum sit idem, *Galenus* communis noster Præceptor edocebt, cujus præ-

Præparatio Diagrydii usitata non congruit cū Galenica

ejusdē praparatione. parationem cum usitatâ conferam, à qua hæc toto cœlo differt.

Galenus lib. 1. cap. 1. de alimentorum facultatibꝰ, jubet excavare internas mali cotonei partes, quæ semen continent deinde totam cavitatemScammonia replere, & coquere: Coctum hoc pomum mandendum exhibet. Quod namq; in hunc modum præparatum est, absq; stomachi subversione alvum subducere tentatur.

Aliam rationem præparandi recenset Oribasius collectā.l.8.c.43 quam vide. 1. Secessum facientiū à Galenica diagrydii præparatione refutatio Hanc rationem præparandi à paucissimis nostro tempore observari certum est. 1. *Quidam enim manifestò contrariantur hodiè, qui non pomum cotoneum coctum, sed scammonium in pomo coctum exhibent.* Quod quâ ratione fiat, videant illi. Verba sunt insignis illius medici *Alexandri Massariæ in libro eruditissimo*, quem de purgantibus conscripsit; cujus hac in re tanta Autoritas, quanta aliorū omniū dissentientium, cum nitatur rationibus firmissimis.

2. Discedentium à Galenica diagrydii præ- 2. *Alii dissolvunt totam Scammonii substantiam in succo cydoniorum vel citriorum pomorum calido, filtrant*

atq;

atq; rurſus exiccant. Sed neque hi eum Galeno Præceptore noſtro divino, atq; citata præparatione conveniunt: ſiquidem cùm iterùm exſiccent, parùm ſuccorum dictorum Scammonio correctionis loco reliquum faciunt, totamque ſubſtantiam Scammonii (*à calidis enim ſuccis tota ſubſtantia Scammonii reſolvitur*) recipiunt, cùm tamen *Galenus* tantùm partes tenuiores & ſubtiliores, quæ inter coquendum malo commixtæ, aut ab eodem ſibi acquiſitæ fuêre, ægris obtulerit. *parationes refutatio.*

3. Hanc Galenianam methodum ſatis quidem aſſequi Chimicos, inque illis inprimis *Crollium* mihi videtur; qui in *Baſilica Chimica pag. 141.* docet ex eo parare Extractum cum Spiritu vini vel Aquavitæ. Sed quia hæc Chimicorum præparatio ſatis laborioſa, ſatis ſumptuoſa eſt. *3. Chimica præparatio diagrydii admittitur.*

4. Ego aliam in medium afferam, quæ parcit ſumtibus, & in quovis momento paratu facilima exiſtit, quã acceptum refero *Fratri meo heu olim! cariſſimo Johanni Philippo Brendelio, Philoſophiæ Magiſtro, Medicinæq; Pra-* *4. Facilior & tutior præparatio Scammonii proponitur.*

ctico apud aulam & oppidum Slaicensem peritissimo, τοῦ νῦν ἐν ἁγίοις. Præparatio dicta talis est:

Extemporalis præparatio Scammonii.

℞. *Scammonii gr. X. XV. vel XX. quibus benè contritis in mortario affunde paulatim aquæ alicujus destillatæ actu frigidæ, fumariæ videlicet, vel alterius inservientis scopo proposito, & probè invicē agita, sic in momento crassa, tenax & nigricans quædam materia fundum petet, quæ picis liquidæ instar ita concrescet, ut pistillo non possit iterùm separari, quàm diu humida manserit: siq; illa in mortario sinatur exsiccari, vix ab eo iterùm dividi poterit, suiq; notam fermè indelebilem post se relinquet. Innoxium autem Scammonium liquori affuso colorem albicantem inducet.*

Vires & laus Scammonii ritè præparati.

Hîc liquor albicans decapulatus, atque ægro exhibitus, bilem utramq;, inprimis verò ichores, humoresque serosos in corpore redundantes lenissimè sed copiosissimè educit, adeò ut ubi scamoneata aliàs proscribuntur, scammonium sic præparatum, privilegio separationis dictæ locum invenire possit & debeat, Lenissimè enim, ceu

ceu modò declaratum, operationem suam perficit, ut etiam infantibus & prægnantibus absque ullo incommodo subsequente (reliqua purgationis necessaria requisita ubi observata fuerint) annis abhinc viginti quatuor & quod excurrit partim præberi viderim, partim ipsemet præbuerim.

Sed sic, ut dixi, ex tempore præparare soleo, aliàs in officinis pharmaceuticis meæ inspectioni olim & nunc concreditis sic præparari jussi Scammonium.

℞. *Scammonii q. v.* *Præparatio Scammonii prò usu officinarum.*

Dissolve in aqua quædam destillata actu frigida, & ab impuritate superiùs nominata per inclinationem separetur. Iterúmq; affundatur alia aqua recēs, quæ ubi albescit post triturationē iterum separetur, & hoc toties reiteretur, quoties aqua albicantē colorem adipiscitur. Has aquas decapulatas omnes in vitream retortam vel cucurbitam vitream conclusas beneficiô Balnei vaporosi galeati ad siccitatem per evaporationem educant Pharmacopæi: Scammonium verò in fundo relictū & iterum pulverisatum usui reservent.

Qui-

Distinctio opinionis communis de Scammonio.

Quicunque igitur clamitant, uti hactenus uno ferè ore factum est, Scammonium vasorum ora, plus quam par sit, aperire, acrimoniâ suâ intestina abradere, tormina & tenesmum excitare, venarum orificia reserare, sangvinem per inferiora educere, dysenteriam excitare: etsi quid amplius est, quô Scammonium onerant, eos rogo, ut benè perpendant priùs, quid *Galenus locò supra allegatô* sibi voluerit, cum in hæc propemodùm erumpit; *Natura ipsa permulta, quæ sensui simplicia apparent, commiscuit, quæ tamen facultatem & substantiam habent contrariam*; Cogitentque secùm, num ne hoc quoque in Scammonio locum habeat. Quod ubi viderint, separent noxium, retineant innoxium, sic quodlibet sua Laus & Vituperium manebunt.

Contrariæ facultates in uno eodemq; subjecto deprehensæ separentur beneficio artis spargiricæ.

Corrigentia usitata Scammonii an admittenda?

Ad alteram verò rationis partem quod attinet, *dum inquiunt illi* Scammonio adjecta esse correctionis locô pingvia, viscida & in-

inteſtina corroborantia, *uti Tragacantham, Maſtichen, oleum amygdalarum dulcium, ſemen pſyllii & fœniculi, cinamomum & ſpicam, &c.*

Næ! ſimiles mihi videntur in medium hæc afferentes Cocis quibusdam, *uti loquitur Autor Tyrocinii Chimici*, qui in eviſcerandis & deſquamandis carpionibus felleâ cyſti fortè fortunâ pertusâ; amarorem iisdem hoc modô inductum non eluendum aut ſegregandum putarent, ſed ſaccharô, mellevé additô obtundendum eſſe contenderent. Eſto enim! fugiat amaror guſtum, illorum præſertim, qui non adeò ſunt delicatæ naturæ, ſuâ tamen actione minimè fallet, quia bilis mel, ſaccharumque miſtione hac inficiet, ut ſimiliter in bilem, quemadmodum aliàs facilè fit, convertantur. Quid verò exinde incommodi exoriturum ſit, notius eſt, quàm ut aliquâ opus habeat deductione.

Simile de cocis à Beguino p. 10. Tyrocin. Chim. propoſitum.

Eâdem ratione cum viſcidis illis exhibitum Scammonium eò firmiùs & diutiùs inteſtinis adhærere, ſicque ſuam operationem, quam attribuunt ei-

Viſcida, pinguia & calida nõ ſunt vera corrigentia Scammonii.

eidem, *intestinorum videlicet abrasionem, & alios noxios effectus magis manifestare*, & à pingvibus, quæ calida sunt, ut & ab aliis calidis magis incalescere posse, rationi consonat.

Satiùs utile ab inutile separare, quàm diagrydium u situm tot numero & qualitatib. varius permixtum propinare.

Interim neminem pungo, nec alicui impero, quamvis satiùs mihi ducam vel Galenianô vel aliô dictô modô separare crassas, tenaces, atque noxias Scammonii partes à tenuibus & innoxiis, quam alicui diagrydium tot & talibus permixtum propinare: quid alii agant aut ajant, incurius, præsertim illi, quibus volupe est quosvis arrodere, aut nasô aduncô suspendere. Iisdem, ut & aliis, hâc vice & imposterùm etiam (*etiamsi factum hoc meum arroserint*) spretis & relictis me ad alia conferam, nec ullâ responsione dignos unquam judicabo.

CAPUT V.

De Balneo sicco, seu vacuo.

Balneum siccum seu vacuum quid?

Hucusque Balneum humidum visum fuit: videatur nunc quoque sic-

ſiccum. Siccum verò Balneum ſeu ſtufa ſicca talem apparatum requirit. Vas continens materiam præparandam ollæ vacuæ, *quæ capella vulgò audit*, imponitur, cui adhuc aliud vas ſimile ſuper injicitur & commiſſuræ diligenter ſeu accuratè lutô obcluduntur, ita ut nihil præter collum vaſis continentis materiam promineat, & more balnei conſvetô, ſupraque declaratô ignis ſecundum gradus alitur.

Hujus Balnei aliam deſcriptionem & adornationem tradit *Libavius in notis ad Alchimiam incerti Autoris p. 157.* quæ tamen nullâ commoditate deſcriptam ſuperare videtur. *Alia conſtructio Balnei ſicci.*

Hoc Balneum requiritur in iis, quæ deſiderant fortiorem ignem, quã eſt Balnei humidi calor: illum tamen minorem, quam eſt calor Cinerum, arenæ aut ſcobis ferri, &c. *Balneum hoc, quando expetatur.*

Hac itaque cauſa motus ſum, ut huic balneo medium inter dicta ignis ge-

genera locum concesserim.

Hic non est operæ pretium multa exhibere paradigmata, cum usus ejus facilè ex chimicis petatur, & sufficiat modum administrandi tenuisse, qui modò edoctus est, præsertim cum ignis eôdem modo, ut in aliis generibus, præparationibusq; inibi fieri solitis, dirigatur. De hujus usu consuli potest *M. Keslerus in centuriis Chimicis*, qui multa de hoc recenset.

CAPUT VI.

De igne cinerum.

Connexio subsequentium cum antecedentibus.

CUm de Balneo humido & vacuô, tanquam de lenissimis infimisvè generibus ignis peractum fuerit, ordo requirit, de igne cinerum, uti leniore adhuc arenæ igne, actiore tamen igne Balnei pertractare.

Definitio hujus ignis *ex primo capite hujus sectionis* patet.

1. Igne cinerum perficiuntur Digestiones & extractiones Mineraliũ.

1. Hôc igne perficiuntur digestiones Metallorum & Mineralium, quemadmodum in Balneo Vegetabilium & Animalium.

Men-

Menstrua mineralium & metallorum omnia sunt salina, acuta, corrosiva. Lunæ solvendæ menstruum est aqua fortis. Soli aqua Regis struit insidias. Corallia, perlas, oculos cancri solvit acetum, succus citri, spiritus sulphuris & 🜊li. Saturnum corrodit acetum. Sulphur aggreditur Sal Tartari resolutum. *Menstrua extrahẽtia.*

Quædam Mineralia nullam admittunt à menstruo extractionem aut resolutionem, nisi præmittantur præparationes, quædam corpora ista alterantes & penetrantes, quo menstruo debitam exhibeant obœdientiam. *Præambulæ calcinationes.*

Sic *Paracelsus lib. 6. archidox* jubet parare Magisteria GEMMARUM, earumque tincturas & virtutes post calcinationem, quæ fit cum 🜍, vel etiam 🜕, menstruo idoneo extrahere, videlicet spiritu vini, & in sal evaporare. Tale est paradigma. *Paracelsi de Magisterus sententia.*

℞. *cryſtallor. vel Granator. vel Hyacinth. vel chrysolithi* ℥ß.
Pulverisata minutissimè in marmore, terantur. Post misce cum 🜍 pulverisato. *Magisteria Gemmarũ.*

Inq; igne reverbera, hancq; novi sulphuris mistionem quinquies & sexies itera. Deinde misce cum

⦶ pulverisato,

fluant in igne rotæ. Demum ablue aquâ calidâ salsedinem nitri. Pulverem exsiccatum extrahe in calore cinerum per viginti quatuor horas spiritu vini, secundum Paracelsum vel prius, secundum alios,

Aceto destillato fortissimo.

Acetum decanta & evapora: in fundo sal apparebit. Quo ignis lenior, eo melior succedit operatio. Sal iterum extrahitur spiritu vini simplici, vel misto cum spiritu urinæ sale volatili imprægnato.

Magisteriũ vel sal margaritarum per evaporationem.

MARGARITAS Paracelsus redigit in magisterium, easdem solvendo in aceto concorrecto. Digestione factâ per mensem, evapora in Balneo, sic in fundo habebitur Magisterium.

Magisteriũ corallorum per evaporationem.

CORALLIA autem jubet primo calcinare Nitro, & post, ut gemmas, aceto extrahere.

Verum ad GEMMARUM extractionem præviam calcinationem quidem necessariam fatemur, quamvis & illarum

rum evaporatio multum falis aceti nobis offerat; fuperfluam autem in coralliis & perlis, imò noxiam hanc non folùm *Paracelficam*, fed & aliorum, qui fine prævià calcinatione, corallia aceto deftillato folvunt, evaporationem exiftimamus, relinquit enim fal aceti, quod elui nullâ edulcoratione poteft, & magifterium corallorum adeò guftui ingratum reddit, ut fine naufeâ adfumi nequeat. Rectius itaque perlæ & corallia, ut & lapides cancri aceto foluta præcipitantur cum Sale Tartari.

℞. *Perlas, corallia, vel lapides gammarorum q.v.*
Pulverifa minutim. In vitro commodo affunde
acetū deftillatum fortiffimum.
In calore cinerum leniter folve. Solutiones collige, filtra per chartam emporeticam duplicem, fupra folutionem impræ-gnatam effentiâ infunde

Magifteriū dictū per præcipitationem cum o o o ♀

o o o ♀ *ri per deliquium factum.*
Tum præcipitatur pulvis albus, qui paucarum horarum fpacio fubfidet. Men-

 ftruum

ſtruum ſalſedine imbutum decantatur; Pulvis in fundo relictus edulcoratur aquâ calida, poſt exſiccatur.

Elegantior modus eſt ſequens.

Magiſterium cum menſtruo philoſophico ſolutum.

℞. *Perlas, corallia vel lapides gammarorum, à ſordibus liberata.*

Injice in acidum philoſophicum liquorem, in cinerum calore videbis ſolutionem admirabilem, fruſtaq; ceu impetu quodam agitata, ſurſum deorſumq; vergere.

Præcipitatur cum ſpiritu Vitrioli.

Per filtrum decantatum liquorem irriga optimo 🜖*li, vel* 🜂 *ſpiritu. Præcipitabitur albicans, cryſtallinus pulvis, qui crebra affuſione aquæ frigidæ edulcoratus, ſpongioſiſſimum & nitidiſſimum exhibet magiſterium, magnarum in uſu medico virium multis expetitum, paucis notum.*

Tinctura corallorum.

Tinctura Corallorum in eodem calore à nonnullis *Arcapiſtis*, cum *dulcedine vegetabili*, per deſtillationem ad latus, ex cineribus & arena extrahitur: qui modus omninò rejiciendus non eſt, vires enim corallorum ſapor oſtendit. A nonnullis paratur *cum ſpi-*

ſpiritu mellis, quo ſolvunt corallia, cum menſtruum tincturam extraxit, ſeparant in cinerum calore, donec in ſpiſſa mellis eſſentia corallorum tinctura reliquatur, quam extrahunt ſpiritu vini. Hunc iterum deſtillatione ſeparant, donec ad aliquam craſſitiem pervenerit.

II. Ulterius in cineribus poſſunt deſtillari AQUÆ compoſitæ, quales variæ hinc inde apud Autores varios proſtant deſcriptiones. Ex iis verò eligi poteſt aqua imperialis *D. Camilli à Camillis, à Quercetano in tractatu de dogmat. medicinâ legitimè præparanda p. 303 deſcripta.* Item

II. Aquæ ſacræ ſimplices atq; compoſitæ magnarum virtutũ igne cineritio deſtillantur, quorum 1. Aqua imperialis. 2. Diaphoreticum Paracelſi.

DIAPHORETICUM PARACELSI in acutis, cujus rudimenta habet *in libello de peſte ad Störzingenſes*, ubi ſolius ſpiritus ☿ meminit, quem jubet addere Elixiri antipeſtilentiali.

Sub nomine ARCANI caduci deſcribit eandem compoſitionem *lib. de reb. natural cap. 8.* Vocatur aliàs Miſtura de tribus *Graſebecii*, quia hic in plurimis morbis eâdem feliciſſimè uſus fuit. Miſtura ſimplex appellatur ad diſtinctionem compoſitarum alia-

rum, conſtatque ex tribus ſpiritibus.

℞. *Spiritus* ♁ *limpidiſſimi* ℥iij.
Theriacalis camphorat. ℥v.
Oli correcti ſecundum Paracelſum ℥j.

Digere ad ſeptimanas tres, lento cinerum vel hypocauſti calore, vaſe anguſti orificii optimè clauſo.

MISTURÆ COMPOSITÆ pro diverſitate affectuum variæ eodem cinerũ calore concinnari poſſunt, Cephalicæ, cordiales, ſtomachales, Hepaticæ, lienares, hyſtericæ, antipeſtilentiales,

℞. *miſtur. ſimplicis* ℥ij.
extract. granor. Juniperi
angelicæ
rutæ
ſcordii
meliſſ a. ℈ j.
Card. Bened.
gentianæ
enulæ
ſalviæ
petaſitidis
croci a. ℈ß.
Spir. C.C. rectif. & proprio ſale eſſentificat. ℥ij.

li-

ligni sanct. ℥ j
Syrup. cerasor & tunic.
acetos. citri
violar.
scordii a. ℥ iij.
Aq. scorzoneræ ℥ vj.
Stent in leni digestione caloris cinerum per octiduum. Post colentur. adde
ambræ
mosci a. g. vj.
Conf. alckerm. ℥ ij.
In vitro S. Mistura Antipestilentialis.

Leonhardus Fioravanti in corona medicinali l. 2. c. 9. edocet præparare aquam mirabilem, cujus vires inenumerabiles inprimis in conservanda sanitate, & quôvis morbô curandô: idque sequentibus verbis. 3. *Aqua mirabilis Fioravanti.*

℞. *Tartari albi integri*
Therebinthinæ claræ & pellucidæ
Foliorum Aloes viridium, crassorum & unius cubiti altorum ana libram unam.

Omnia contusa invicem in pastam redigantur; cucurbitæ includātur, alembicus & recipulum applicentur, leniq;

igne cinerum urgeantur, donec omnis liquor transierit. Posteà feces nigræ in fundo restitantes eximantur, subtilissimè pulverisentur, cum liquore superiori iterum in pastam redigantur, tandemq; cucurbitæ inclusæ iterum igne urgeantur. In fine destillationis ignis benè intendatur ut feces benè comburantur. Hæc actio vigesies vel toties repetenda, donec omnis liquor evanuerit, fecesq; in fundo albæ, salis instar candidi, apparuerint. Postea dictum sal residuum super marmor politum in cella reponatur, donec in aquam limpidam & claram resolutum fuerit, quæ usui in vitro benè sigillato reservatur.

Vires hujus ineffabiles ferè & supra modum mirabiles petantur ex *Autore citato*.

III. Rectificatio oleorū vulgaris. III. Porrò per retortam quoq; igne cinerum plura olea rectificantur, & quidem per cohobia, semper addendo aliquid aquæ vehiculi locô. Sed *Libavius in notis ad Alchimiam incerti Autoris p. 48. in rectificatione olei succini* alium modum rectificandi olea proponit & commendat, vulgaremq;

re-

rejicit. Verum ille ſequenti capite docebitur.

IV. Lixivia quoque è cineribus vegetabilium fiunt; iterumque evaporatione coagulantur, atque in formam ſalium rediguntur beneficio cinerum, in vaſe humili & lati prorſus orificii in vitro loricato, ſeu vaſe Waldenburgico aut ſimili.

IV. Confectio ſalium vulgaris &

Quia verò hoc modo præparata ſalia facilè liqueſcunt, & odorem ſaporemque lixivioſum contrahunt, prætereaque neſcio quam ſecum retinent naturam ſalis tartarei, cui etiam proximè accedunt, difficulter vel ſapore vel odore ab eodem diſcernenda; *Hartmannus* ſæpius ante hac citatus aliam ſubſtituit.

Artificialis duplex.

Præparatio ſaliū artificialis Hartmanni.

℞. *Cineres quorumcunq; vegetabilium, & cum æquali ad pondus parte ſulphuris communis eleganter pulveriſati calcina ſeu combure, ad ignem non admodum magnum: ſic omnis pingvedo lixivioſa cinerum perit. Ex his cineribus tandem cum aquâ communi vel propria lixivium elice, lixivia ad cuticulam evaporando, & poſtea in frigidum locum ad*

 cry-

crystallisandum reponendo, fiunt salia omnium optima, & mirificè operantur, nec sapiunt lixivium. Sic sal Absynthii hac methodo præparatum purgat per vomitum, ventriculi & pectoris impuritates. si ejus scrupulus unicus vel dimidia drachma in duabus unciis aquæ ejusdem exhibeantur. Sic sal Imperatoriæ juxta hanc viam ex radicum cineribus factum, à granis quatuor ad octo in Rob Sambucino exhibitum tollit omnes febres.

Præparatio salium artificiosa Finckii.

Verum hanc operationem tædiosam esse & minus rectè procedere; rectius verò sequenti modô operari quêlibet posse purat Dn. *D. Johannes Vincentius Finckius Fulda Buchonius in Encheiridio dogmatico Hermetico p. 116.* Vide *Kesleri Centuriam primam.*

℞ *Sal vulgari modo præparatum. Inde in vitrum, affunde per vices oleum salis vulgare, licet non rectificatum, & excitabitur strepitus. Perge ita per vices affundere oleum salis, donec non amplius strepat, tum benè agitatum per aliquot saltem horas, ut quiescat repone. Deîn affunde aquam puram ad eminentiam palmi. Solutionem hanc per filtrum depu-*

pura, & ad tertias evapora: Tum in cellam repone, ubi concrescet sal crystallinus. Quô separató residuum rursus ad tertias evapora, salq́; quoties opus esse videbitur, diligenter collige, & ad usus reserva.

V. In cineribus præcipitationis quædam species exemplo *Turpethi mineralis* declarari poteſt. Quomodo verò Turpethum minerale præparandū ſit, perſpicuè edocet *Crollius in Baſil. Chimica*, ubi omnes encheireſes addit. *Sunt autem, qui loco olei sulphuris per campanam facti recipiunt oleum vitrioli corrosivum.* Sed hi aut diuturniori digeſtione opus habent, aut incumbit ipſis, ut addant ſal vitrioli, atque illud deinde exactè iterum abluant. *V. Præcipitationis quædam species igne cinerum perficitur.* *Cautela necessaria in præparatione Turpethi mineralis.*

Facilimus Turpethum minerale parandi modus hic eſt;

℞. *Mercur. meteorizat.* ℥ *iij.*

Solve eum in aqua pluviali calidâ, crebrius spatulâ ligneâ movendo. Filtra per linteum, in vitrum capax, & guttatim infunde Sal ♀ solutum. In fundo præcipitabitur pulvis rubeus, aqua communi edulcorandus, donec nulla amplius appareat salsedo & acrimonia. De-

Dosis à g. ij. iij. iiij. v. in conservâ borraginis, rosarum, vel pilulis aloephanginis.

CAPUT VII.

De igne arenæ & scobis Ferri.

Ignis Arenæ & Scobis ferri distinguuntur quidem, sed cōmodè de iis dem simul tractatur.

Ut ignis *Arenæ & Scobis ferri* ab Autoribus distingvantur; eundem tamen requirunt apparatum, eadem, instrumenta, directiones easdem: perficiunturque æquè commodè eædem operationes. Itaque temporis redimendi gratia unâ fideliâ duos simul dealbabo parietes.

Varia medicamenta in arena præparātur & qui dē &lin cucurbita recta, ubi 1 Varia olea & Spiritus, e.g. 1. Oleum succini secūdum descriptionem Crollii,

Varia medicamenta in arena præparantur, & multi usus est hic ignis, præsertim in minerabilibus elaborandis, tàm quoad cucurbitam, quàm retortam, quàm Cornu musarum quidam vocant.

1. Ex arena in cucurbita rectâ varia olea, Spiritusq; destillantur. Sic ex cucurbita *Crollius libri sæpius citati pag 190.* oleum succini pellere docet, qui

qui modus retineri potest, præsertim ab illo, qui sal diureticum desiderat, qui perit seu commiscetur cum oleo fœtido, si oleum succini per retortam destilletur, quem modum paulò post una cum rectificatione proponam.

Sic quoque destillatur Spiritus Therebinthinæ. *2 Spiritus Therebinthinæ.*

℞. *Therebinthinæ* ℔ *ij. vel iij.*
Aquæ fontanæ purissimæ ℔ *vj vel plures.*

Vehiculum olei destillãdis addẽdũ, quia est babulũ ignis, quod secum olea aufert.

Indantur in cucurbitam, & adaptatô alembicò, & receptaculo destillentur subministrando ab initio lenissimum ignẽ, per quatuor vel quinq; horas, tum paulatim fortificando eundem, donec Spiritus cum aqua vehiculi loco additâ simul emanaverit Lenissimam ignem primò adhibendum dixi, quia resina hæc aerea facilè in sublime fertur, & integrâ in receptaculum delabitur, si ignis nimium, quam par sit, intendatur. *Spiritus hic ab aqua facili negociô separatur per infundibulum, vel alia separandi ratione usitatâ, de quibus omnibus ferè infra in capite de igne aperto.*

Cautela necessaria in destillatione Spiritus Therebinthinæ.

Deîn

Omnis ferè sublimatio peragitur in arenâ.

Deîn perficitur omnis ferè SUBLIMATIO in arena, quæ definitur operatio, quâ corpus halitus specie in sublime propellitur, ibique ab ambiente frigidô congelatum parietibus vitri adhæret.

Sublimatio & præcipitatio unde dicantur.

Nomen adepta est hæc operatio â formâ actionis, uti quoq; ei oppositâ elaboratio, PRÆCIPITATIO. Hæc quia rarò præter illam speciem cujus *in capite præcedenti* mentio facta est, ignis ope perficitur, vel coincidit aut cum destillatione aut sublimatione aut aliis operationibus declaratis, de eâ peculiariter agere necessarium haud duco. Sublimatio autem fit aliquandò sine additione, aliquandò cum additione.

Sublimatio fit vel sine additione, vel cum additione.

Sublimatio sine additione exemplo.

Sine additione plerumque fit SUBLIMATIO FLORUM ANTIMONII,

℞. *Antimon. pulver* ℔ *j.*

injiciatur in aludel. terreum, cui artificiosè aliquot ollæ perviæ incumbunt, inq; alembicum rostri expertem quidem, sed tamen in vertice pervium, ad humidos spiritus emittendos, cum mobili conô sublimentur

tur secundum artem, urge ignem pergradus, ad diem vel duodecim horas *ad flores albos* excipiendos; *ad citrinos* perviginti quatuor horas; ad rubeos per triginta sex ignem continuando & successivè augendo. *De quibus consulatur Tyrocinium chimicum capite de floribus.*

Hisce floribus substituit *Crollius* illos, qui *beneficio retortæ parantur, dum pulverisatum Antimonium arenæ puræ admixtum sine omni capite mortuo, ignis violentiâ in flores redigitur.* *Aliâ ratione flores antimonii præparare jubet Crollius.*

Simili modô sine additione FLORES BENZOINI parare jubet *Tyrocinium Chimicum l. d.*

Sublimatio verò cum additione fit 1. Vel ut corpus cum illo materiâ adjectâ diutius in igne morari possit, ne ignis vim nimis citò, & ante justam ac veram separationem effugiat. *Sublimatio cum additione fit ob quartas causas.* 1.

2. Vel ut feces seu impuritates quadam affinitate materiæ ab eadem detineantur, ne simul cum floribus adscendant in alembicum. 2.

3. Vel ut prohibeatur fluxus rei sub- 3.

sublimandæ, quô contingente sublimatio frustrà tentaretur.

4. 4. Vel ut suâ acrimoniâ corporis mutationem ac separationem adjuvet, quæ tamen additio talis esse debet, ut nullam alienam qualitatem corpori sublimando imprimat.

Priores tres caussæ locum habere possunt in sublimatione salis Armoniaci, & similium: Prior & Posterior in sublimatione Mercurii.

5. Præparatio cinabrii artificialis. 5. Quandoque ideò conjunguntur plura corpora, ut exinde novũ fiat, uti in confectione Cinnabaris artificialis fieri solet. Quam præparationem ideò in medium afferã, quod eàdem *teste Quercetano in consilio de lue venereâ*, Mercurius optimè seu perfectissimè purificetur, & ejusdem heterogenea humiditas omnis admixtione sulphuris exsiccetur & consumatur. *Hæc præparatio talis esse potest.*

℞. *Sulphuris communis* ℥iij. iiij.
Huic liquefacto prius infunde.
Mercurii vulgaris ℔j.
Et ligno benè agitando invicem incorpora, donec Mercurius à sulphure planè ab-

absumtus videatur. Posteà hanc massam frigefactam tere super marmore, & inde in sublimatorium benè loricatum, ignem subministra primò lenem, posteà fortiorē, & videbis fumum citrinum seu luteum ascendere Perge gradatim augere ignem, donec fumus nigro rubens ascendat. Tunc rostrum, quod tàm diu apertum sit, lutô occluditur, & urgetur igne violentissimo per quatuor vel quinq; horas. Demùm refrigescant. Recluso sublimatoriô invenies Cinnabarim ad latera vasis, in capitello feces nigerrimas.

6. Quandoque sublimatione extrahitur essentia, & tunc alterum corpus additum tanquam vehiculum sublimandæ essentiæ inservit, atque operatione hâc finitâ, deinde iterùm separatur. Hoc vehiculum plerumque sal armoniacum esse solet, quod in *extractione tincturæ Coralliorum, tincturæ solis è calce ejusdem, Martis tincturæ ex Crocô ejusdem* quidam in usu habent. *5. Sublimatione extrahitur essentia.*

Apparatus sublimationis hic esse solet. Corpus sublimandum cum materiâ competente optimè con- *Apparatus sublimationis quis?*

teritur, & ut plurimum ſuper marmore commiſcetur. Inde ollæ ſublimatoriæ, quam Aludel vocant, illique vel unico vel pluribus artificiosè ſeſe invicem excipientibus, vel cucurbitæ quandoque non nimis altæ, benequeloricatæ inſeritur, & poſt ſeparationem Aquoſitatis, *(cujus rei in unaquaq; ferè ſublimatione peculiari, ſigna in particularibus operationibus adſunt)* lentô igne peractam, appoſitô operculô, vel alembici roſtrô occluſô augetur gradatim ignis, donec nihil amplius adſcenderit, id eſt, donec omne ſublimandum ſublimatum fuerit.

Unicâ ſublimatione ſublimatum, ſi non ſatis purum videbitur, aut non ſatis placebit, poterit eadem ſublimatio iisdem legibus repeti toties, quoties libuerit, aut donec puritas ſatis arriſerit.

℞. *Mercurii vivi per corium trajecti* ℔j.
Aquæ fortis q. s.

Mercurium ſublimandi ratio.

miſtione factâ ſolvetur, & quaſi totus abſu-

sumetur Mercurius. Hanc solutionem funde super

♁ ad albedinem calcinati ℔ſ
⊖ tosti vel fusi ℔j.

cum spatula lignea diligenter subagita, cavendo à spiritibus acribus, qui inter agitandum evaporare solent. Posteà hanc misturam injice in vitrum, quod NONNA vocatur, vel cucurbitam benè decurtatam atq; lutatam, arenâq; tàm altè obrue, ut vix transcendat misturam. Orificium Nonnæ vel rostrum alembici primò tantùm claude simplice vel duplice chartâ emporeticâ, donec omnis humiditas evaporatione absorpta sit, quod facilè cognosces, si nummum Arithmeticum vel aliud metallum glabrum seu politum imposueris orificio Nonnæ.

Evaporatâ verò omni humiditate, ignem gradatim auge per horas duodecim, & omnis ferè Mercurius plerunq; instar glaciei transparens elevabitur, atteſtante *Hartmanno in notis ad Tyrocinium Chimicum.* Quod ſi non ſatis pellucidus is fuerit, ſublimatum hunc Mercurium cum ſale nitrô, vel rectiùs communi fusô denuò ſublimabis.

Sublimationem Salis Armoniaci eleganter *proponit Rhenanus in Sole è puteo emergente, & Begvinus, quam ita, ut quæ cum Marte prima locatur, illa ultima fiat, mutare malim.*

Rhenani descriptio paululùm immutanda videtur.

℞. ✱.

⊖ *decrepitati â p. æq.*

Sublima in flores observatis ignis gradibus, & ad usum reserva.

℞. *Florum antea paratorum, vel etiam Salis Armoniaci crudi, in mortario contusi limaturæ martis puræ Magnesiatæ.*

Mista inde cucurbita figulinæ oblutatæ, & observatis ignis gradibus, adscendent flores albicantiores, farinacei, spongiosi, mox flavescentes, hinc fulvi igneo rubore perfusi.

Tandem Vulcani ferociâ Nigri *apparent, ipseq; Mars compedibus, quibus terrestri moli alligabatur, solutus, in cœlum elevatus, nigram, sed formosam nivem spargit.*

Simplices & Martiales flores sudorem potēter movent, volatili spiritu omnia pervadentes, fixos humores, & pigra salia fer-

fermentando, spleneticis, & scorbuticis auxiliatrices manus præbent.

NIGRI *autem in humido frigido soluti, oleum Martis dulce mentiuntur, astrictoriaq; vi eminent. Æthiopicus liquor vel cum salis laticè vel aliqua aqua scorbutica combinari & servari potest.*

His operationibus cognitis facilè ad harum exempla lectorem plures elaborare, aut de eorundē descriptionibus judicium ferre posse non dubito. Quapropter hæc sufficiant de operatione in arena per ascensum. *Has operationes callens plures perficiet.*

AD LATUS VERÒ PER RETORTAM igne arenæ varii destillantur liquores: Inter quos ille gummosus, sic vocatus à Chimicis, non infimus est. Duplex enim egregium medicamentum ex eô parari potest, videlicet BEZOARTICUM MINERALE, & MERCURIUS VITÆ. *Per retortā in arena varii liquores destillātur.* *1. Liquor gummosus ex quo præparatur Mercurius vitæ.*

MERCURIUM VITÆ ex spuma duorum venenatorum Draconum elegans parandi modus est hic.

℞. *Reguli antimonii* (cujus præparationem infra afferam.) *Mercurii sublimati ana partes æquales.*

Hæc duo ingredientia ſeparatim prius pulveriſata celeri manu in marmore frigido miſce, & per noctes dieſq; aliquot in cellam repone, ut liqueſieri invicẽ aliquo modo incipiant. Hoc autem ideò fit, quia perhibetur, liquorem hunc inter deſtillandum in collo Retortæ ſic minimè concreſcere, uti aliàs contingere ſolet, quæ concretio tamen prohibetur, ſi retortę collum curtum ſit.

Encheireſis notanda in deſtillatione liquoris gummoſi.

Hoc ubi factum fuerit, inde retortæ vitreæ, quæ ſive ſit loricata, ſive non, perinde eſt, hancq; impone arenæ, & eâdem multùm obrue, ignemq; adhibe per gradus pedetentim, donec perveneris ad ſummum ignis gradum, nihilq; amplius exierit in cucurbitam ſeparatoriam parvam recipientis loco agglutinatam retortæ. Quod ubi videris, ignem ſuppreſſionis per horam unam vel alteram pro lubitu adhibe: quod fit, ſi prunas ardentes quoque imponas ſuper arenam & retortam.

Ignis ſuppreſſionis quid?

Liquor hic gummoſus vel ex retorta vitrea vel cucurbita ſeparatoriâ, quæ recipientis vicem ſuſtinuit, rectificari debet: Ita quidem (ſi nempe ex cucurbitâ

Rectificatio liquoris gummoſi.

rectificabis liquorem prædictum) *ut primò arena alembicum cucurbitæ annexum attingat, quam tamen deinde, ubi liquor ferè transiit, & lentè destillare incipit, removere, ignem tamen augere debes. Hunc rectificatum liquorem in aquã calentem infunde, & in momento illo pulveris albi instar præcipitabitur, quem diligenter lavabis & edulcorabis. Postea lentè exsiccabis, atq; in usum medicum asservabis.*

Præcipitationũ species quædã.

Mercurius hic vitæ fundamentum & basis est, in quam natura quasi in unum gazophylacium vim purgandi abdidit. Emeticus est, ad gr. iiij. exhibitus. Καθαρτικὸς autem redditur, si cum balsamico sale vulgari teratur, & edulcoretur.

Ex eodem paratur Rosa Mineralis grata facie se mirificè commendans.

De aqua illa, inquam liquor rectificatus infunditur, videatur *Quercetanus tractatu 2. de signat. rerum p. 124.* & in Alexicaco pag. 411. Item *Beguinus l. 3. cap. 12.* Et hæc de Mercurio vitæ.

Aquâ illâ contineri Spiritũ quẽdã Vitrioli subtilẽ dicũt, quẽ verũ Spiritum Vitrioli vo-

cant, & Epilepsiæ domitorem.

2. Bezoarticum minerale sudoriferum eximium.

Antimonii & Mercurii in æqualis proportio reprobatur.

Q. An minera antimonii, an verò antimonium ex minera liquatum in confectione liquoris gummosi usurpandum sit?

BEZOARTICUM MINERALE, quod *Crollius* Antimonium Diaphoretium, indigitavit, ita paratur:

℞. *Merçurii sublimati.*
Antimonii crudi an. partes æquales secundum quosdam.

Cum quibus facio quoad dosin; sed loco Antimonii crudi substituere soleo mineram ejusdem; propterea quod *Quercetanus* requirat magnesiã Saturninam, quæ omnibus Metallis ad debitam proportionem sit imprægnata, *aut ut alibi loquitur*, cum iisdem sociata. Talem verò Magnesiam esse Mineram Antimonii, ideò mihi persvadeo, quod alibi *idem* vocet Antimonium primum ens & radicem metallorum, de quo tamen liberum cuilibet relinquo judicium.

Præcipitatio alia species.

Hisce cum ingredientibus eodem modo progredi poteris, quemadmodum antea in destillatione liquoris gummosi, pro mercurio vitæ conficiendo factitatum fuit. Rectificato Liquori prolectò *infunditur spiritus nitri* (alii contra agunt, sed parum interest, quâ viâ tente-

tetur præcipitatio hæc, in unum enim idemque recidere videtur) *tam diu, quamdiu ebullitiones & strepitus inde exoriuntur, aut donec bello confecto inter liquosum gummosum & spiritum nitri pax inducatur. Posteaper destillationem separāt, iterum menstruum, servatis ignis gradibus, ultimò tamen ita fortificando ignem, ut cucurbita candescat.*

Postremum hoc improbatur ab *Hartmanno*, qui monet, primam destillationem seu separationem spiritus nitri, non debere esse violentam, sed potiùs mitem; repetendamque esse ejusdem menstrui cohobationem, cui menstruo tamen semper aliquid spiritus nitri nondum usurpati addatur, hâc enim ratione (id est, *repetitis cohobiis*) plus de antimonio figi & cicurari, id quod unicâ eâque violentâ destillatione adhibitâ periret. Hujus indicium perhibet, quod in prima destillatione & illâ quidem fortiori, quàm par sit, menstruum rubicundum prodeat; Quæ rubedo cum non aliunde, quam à spiritibus antimonii, provenire possit, necesse est, ut per repetita

An spiritus nitri statim prima vice violenter separandus sit, nec ne? Ex sententia Hartmanni deciditur hæc controversia.

cohobia ſpiritus iſti antimoniales tandem cum reliquo pulvere Bezoartico figantur, & per conſequens pulvis prædictus excellentior reddatur.

Laboris haud prodigi, liquorem gummoſum ſpiritu nitri imbibitum in ſcutella vitrea ſuper arena coquũt, donec indureſcat, tum in crucibulo per ſex horas calcinant, in cretaceum pulverem.

Edulcoratio Bezoartici mineralis & ignitio ſub tegela ſupervacanea

Hanc maſſam Bezoarticam, *quidam edulcorare, quidam vel in crucibulo, vel ſub tegula probatoria aliquandiu ignire vel ſpiritu vini irrigare, eundemq́ incenſione iterum ſeparare ſolent.* Sed ſupervacanea reputantur hæc, ſufficit ſi ſufficienter ſeparatus fuerit ſpiritus nitri.

II. Liquor acidus ex lignis, baccis, &c.

II. Ex corticibus & Lignis ſiccis, Juniperino, Guajacino, &c. ut & baccis Sabinæ, ac ſimilibus mediante retortâ arenæ incluſâ, extrahitur liquor acidus, oleoſus, qui ab antiquis per deſcenſum non ſine jactura ſpirituum deſtillatus fuit. Hæc præparatio exemplo ſpiritus acidi ligni Guajacini demonſtrari poteſt.

Hîc

Hîc iterum lubet digredi & inquirere, an ſpiritus hic acidus ligni ſancti ſit Heracleinum Rulandi, nec ne? *Diſcurſus de liquore acido ligni Guajacini?*

Martinus Rulandus Pater, in centuriis ſuis hinc inde varias reddit cauſas, quare ea, quæ ex uſu diuturno in ægrotis experta, & contra varias ægritudines tam externas, quam internas probata medicaméta habuerit, publicè commendaverit, inter has autem non poſtrema hæc videtur; Utilitas nempe ex iisdem reſultans maxima, quia iisdem *citò, tutò & jucundè* ægrotos curatos fuiſſe, & alios quoque ſimiliter curari poſſe, atteſtatur. *Cauſa, cur Rulandus medicamenta à ſe probata publicè cõmendaverit.*

Cum autem pleraque ipſi uſitatiora, eaque inſigniora medicamenta nominum involucris obſcurata inveniantur, adeò ut non ſtatim quilibet, licet ſagax & exercitatus ſit Medicus, aſſequatur & intelligat, quid ſibi velint iſta ænigmata, operæ precium me facturum exiſtimo, ſi ingenioli mei nervos eò intendero, quò explicentur obſcura ipſius vocabula, & nomina medicaminum, ut cuivis quædam il- *Ejusdẽ medicamenta inſigniora pleraq; pleroſq; latere videntur.*

lorum pateant. Digna enim videntur ipſius medicamenta, quæ crebrò in uſum ducantur, cum ſint ἐυπόριστα & πολύχρηστα.

Vires Olei Heracleini cõmendãtur 1. adverſus Epilepſiam.

Ejusdem oleum Heracleinum, cui à morbo Herculeo, Epilepſia, quæ ut dometur, monſtri alicujus inſtar Herculeis indiget viribus, in qua debellanda & edomanda inſignem præſtet, operam, nomen indidit, primum obtinebit locum.

Medicamentum certè eximium eſt, quod ne, ubi innotuerit, communibus fati ſubjiciatur legibus, contemtimque habeatur, operæ precium videtur virtutes illius decantare.

Offert ſe autem *cent.2. cur.6.* curatio EPILEPSIÆ multorũ comprobata teſtimoniis, in Davidis Schöns civis Lavingani filia, quæ nata annos decẽ per tres menſes quotidiè incurrebat in epileptica ſymptomata. Huic purgatô rectè capite, propinavit, per quinque dies, manè jejunô ſtomachô, & in ipsâ acceſſione tres guttas ex oleô ligni Heraclii, cujus uſu mox cum omnium admiratione, Deique laude omni-

omninò liberata fuit à chronico & quotidiano hoc malô, quod deinde multis annis non rediit. LAUS SOLI DEO & GLORIA, qui contra morbos comitiales peculiarem & occultam huic oleo vim & facultatem indidit. (*Quibus verbis claudit Rulandus parens curationis hujus narrationem historicã*) De aliis prædictô morbo afflictis, eodemque oleo restitutis alibi copiosè edisserit; quò plura experimenta & documenta desiderantem remitto.

Verùm non solùm pollet hac facultate præcellentissimâ curandi epilepsiam, sed prætereà contra plurimos, illosque periculosissimos morbos alios utilissimè exhibetur. Placet igitur seligere ex innumeris paucula experimenta, quæ in aliis gravissimis morbis edidit.

In centuria 2. curatione 5. exemplum curatæ apoplexiæ, paralysiosq; linguæ sequentibus enumerat: Johannes Vogel, senator apud Lavinganos, præcedente diuturnô capitis dolore, corporisque gravitate & lassitudine tandem derepentè correptus fuit Apople- *2. Curatio Apoplexiæ paralysiosq; linguæ ex cent. 2. cur. 5*

plexiâ. Nam ſubitò cadebat, attonitus jacebat, vocem, ſenſum & motum amiſerat, nomine inclamatus, ſtimulatus vel punctus nihil audiebat, nihil cernebat, nihil reſpondebat, nihil ſentiebat. Ego, *inquit*, accitus præmiſſô ſternutatoriô & oleô ſuccini poſt ſternutationem naribus immiſſô bibendum dabam ex ligni Heraclii oleô cochlear dimidium, quod cum cæteris præſidiis magnum adjumentum dedit, ita ut intra unius diei ſpacium ſenſum motumque receperit. Cernebat enim adſtantes, loquentes audiebat, ad quæſita & reſponſa annuebat, cibum potumque admittebat, facilè & liberè obambulabat. Hinc cum lingvæ diſſolutio & laxitas tantum remaneret ferè per biduum, ita ut neceſſum habuerit cretâ annotare in tabula ea, quæ voce & loquelâ non poterat exprimere, venæque turgerent, extraxi ſangvinem ex utraque cephalica abundè, poſtea corpus quoque univerſum extractô Eſulæ perpurgavi. Interim dum machinabar hæc, curavi omni horâ ſemel

lin-

lingvam totam irrigare oleô prædi-ctô. *Atq; his opportunis auxiliis intra diem & noctem præter omnium opinionem articulatè rectèq; loqui cæpit, & qui antea ἄφωνος erat, mox εὔφωνος factus fuit per Dei Opt. Max. benignitatem & misericordiam, cui soli laus esto perennis.*

Deinde prædictus medicus gloriatur, se solo hoc oleo à febricula, dolore ventris, inappetentiaq; simul & semel affligentibus Thomæ Leberwurst *Ahenarii Lavingani filiolum annos decem natum citò liberasse,* accipiendo scriblitæ momentum, eidemque affundendo olei ligni Heraclii guttas VII. quod deinde jejuno devorandum præbuit, quô alvus multùm purgata fuit, atque confestim convaluit sine aliorum medicamentorum administratione. *Curatio Febris &c.* *Centur. 3. cur. 26.*

Postea quam feliciter Hydropem Ascitem cum vermibus curaverit sic enumerat. Filioli duo Andreæ Rothens in Asciten devenerunt, qui à me ita curati sunt. De oleo ligni Heraclii novem guttas minori natu imposui in umbilicum: Majori natu tredecim guttas ma- *Curatio Ascitis cum Vermibus cent. 4. cur. 98.*

manè,meridiè & vesperi per duos cõtinuos dies. En Dei miraculum, pueri alvô perpurgati sunt, & vermes multi expulsi,ac intra tres dies omnis tumor evanuit.

V. Curatio Anginæ cet.3.cur.99

Insuper cum conjunx ejusdem Medici carissima,annum agens quadragesimum sextum ; anginâ correpta esset, inflammatáq; tonsillæ atq; uvula, ægerrimèque deglutiret cibum& potum,difficulter respiraret,adeò ut ferè strangulata fuerit, præsentissimum tentata fuit, & valentissimum sensisse auxilium ex oleo prædicto, de quo ipsi dederat dimidiũ cochlear, nimirum circiter drachmas tres,quô fauces & reliquas partes affectas colluebat crebrô,& inflammatio tonsillarum ac uvulæ sublata est,atque intra diei spacium evasit libera; facilè spiritum traxit,& facilè glutivit.

VI. Curatio Spasmi Cynici cent. 4. cur. 96.

Amplius mirificè profuisse in Spasmo Cynico,quem vocant,testatur idem. Distorquebatur in misera muliere canino rictu in obliquum os, nasus, oculus, ipsa facies modò in dextram,modò in sinistram partem ; distendebaturque singulis horis plùs quàm vigesies. In

Pa-

paroxysmo agnoſcebat adſtantes, ſed loqui non poterat. Ad iſtam fœminam citatus exhibuit per os tribus vicibus, poſt quartam ſemper horæ partem interpoſitam, OLEI HERACLEINI *gutta tredecim*, & DEO TER OPT. MAX. juvante ilicò loqui cæpit, ab horribili iſtô malô liberata.

Imò inſignem uſum prædicti nunc multoties olei recenſet cent.4.cur.49. Civis Gundelfingenſis filiolus annos natus tres, habebat ſub lingva tumorem & carnis excreſcentiam, *vulgus ranam vocat*, quæ indies creſcebat, ita ut loqui ob ejus molem & impedimentum non poſſet. Ego, *inquit*, ille, parentibus ſvaſi, ut manè, meridiè & veſperi carnem iſtam eminentem lavarent oleô ligni Heraclii. Quod cum facerent quotidiè, decrevit, & mox ſublata eſt. *VII. Curatio ranulæ cent. 4. cur. 49.*

Ulterius adhuc eidem oleo egregiam attribuit facultatem depellendi Iſchuriã, malum illud graviſſimum, cujus experimentum dedit in cive Lavingano, qui olim angebatur Iſchuriâ ſeu urinæ retentione. Nam urina in totum ſup- *IIX Curatio Iſchuriæ cẽt.3.cur.86*

 pri-

primebatur, cum ſæviſſimo dolore, quem dies noctesq; perferebat ob humores veſicæ cervicis meatum obturantes. Huncintra horæ ſpacium, per Dei gratiam, & clementiam liberavit his paucis admotis. Ægrotô ſupinô cubante, ſtillare juſſit in umbilicum quadraginta guttas de oleo ligni Heraclii calente. Inſtillatô oleô balneo aquæ dulcis inſidebat, & intra horæ ſpacium copiosè & expeditè mingere cæpit.

IX. Curatio partus difficilis &c. cēt.1.cur.43

Sed quàm cum ſucceſſu non ſatis laudatô nec laudandô in partu difficili, fœtu emortuô, & ſecundinis expellendis idem exhibuerit, multis hinc inde refert, è quibus unicam tantùm hiſtoriam hâc vice ſeligere placuit, nempe illam, quam recitat *cent 3. cur. 4.* Sebaſtiani Ehingeri civis Lavingani uxor tres dies parturiit, nec liberari potuit, fœtumque mortuum in utero geſtavit. Quartâ demùm die, re deſperatâ, ad me veniunt, oleum Heracleinum à me expetentes. Noverant n. me iſtô oleô omnibus ſubvenire in partu difficili, in fœtus mortui geſtatione, & in reten-

tenta secundina ac mensibus. Invocatò itaque omnipotente MEDICO JEsu CHRISTO *olei ligni Heraclii guttas tredecim* in umbilicum stillare jussi: postea *ejusdem olei guttas duodecim* deglutire. Quibus expeditis & confectis in horæ spacio fœtus mortuus salvâ matre expositus & ejectus est unâ cum secundinâ. Laus soli DEO ARCHIATRO.

Quàm intolerabilis affectus sit odontalgia, benè norunt illi, qui eodem semel atq; iterum conflictati sunt, aut alios conflictantes viderunt, adeò ut propterea ægri multas noctes ducant insomnes, & non dies solùm totos, sed quandoq; etiam menses perpetiantur dolores ineffabiles. X. Curatio odontalgiæ cent.3. cur.53 Ast ecce! præsentissimum remedium contra dictos dolores asserit esse oleũ effatum, idque multis insuper experimentis comprobat, è quibus numerô quam plurimis unicum solùm nunc in medium afferam. WOLFGANG Spreng, Laternarius, dentium cruciatus mæstissimos perferebat, cui succurrit oleô Heracleinô. Nam postquam dentibus admovit dolentibus,

subitò dolores lenivit & penitus ademit. *Oleum enim istud humores extrahit, vermes dentibus innatos necat, & doloris omnem causam, ex qua ortum trahit ille, tollit.*

Cent. 3. cur. 56.

Plures vires olei Heracleini non possunt hâc vice colligi. Cent. 7. cur. 91

Sed dies me deficeret, si vires omnes hujus olei eximias colligere, & hûc transferre vellem, præsertim quibus pollet in lingvæ exulceratione sanandâ, in scorbuticâ angustiâ debellandâ, in phthiriasi, flebilissimô atrocissimôque morbô, curandâ, in canitie præmaturâ amovendâ, & aliis morbis extirpandis, quas apud eundem quilibet videre poterit.

Cent. 8. cur. 79.

Sufficiant itaq; hæc experimenta pro ejus commendatione, quæ sanè maximi æstimanda veniunt, & plurimis, eisq; præstantissimis Medicis admirationi fuerunt, illosque in id inquirendi cupidissimos reddiderunt.

Hanc commendationem sequatur tandem explicatio quæstionis allatæ.

Explicatur quæstio, 1. Ratio, quod oleum

Suprà dictum, à præcipua & insigni facultate adversus Epilepsiam, quæ oleo inest, tanquam à potiore no-

nomen eidem ab autore inditum esse. Quid si hoc ad cognitionem ejus acquirendam aliquid faceret? *Si enim à potiori facta est denominatio, dicendũ erit, oleum hoc destillatione prolectum fuisse ex simplici quodam medicamento Antiepileptico.* Cui fundamento si inniti velim, inter omnia simplicia eradicativa Antiepileptica vegetabilia nullam reperire queo, cui absque omni contradictione cõmuni consensu major vis eradicandi epilepsiam attribuatur, quã ligno Guajacino. Hoc quia in confesso esse apud omnes puto, supersedere autorum allegationi possum. *Heracleinũ conficiatur ex ligno Guajacino.*

Huic præterea in subsidium venit, aut adsciscí debet, quod idem *Rulandus sæpius decocto ligni hujus usus fuerit in iisdem affectibus, in quibus extirpandis oleum hoc profuisse gloriatus est.* *Altera ratio.*

Postremum accedit, quod experientia me huc usque docuerit, *eosdem esse effectus, easdem vires & facultates liquoris acidi, quem per cornutam igne arena ex rasura seu limatura Guajaci eli-* *Tertia ratio ab experientia multiplici desumpta.*

cio quos & quas oleo suo Heracleino attribuit Rulandus.

Sic laudes singulares meretur ob tutissimum & certissimum auxilium, quod confert in pellendo vivo & mortuo fœtu: item in doloribus dentium extirpandis æqualium virium medicinam non vidi, id quod experientia ut me, ita etiam quemlibet edocebit.

Ex quibus apparet, oleum ligni Heracleini esse oleum ligni Guajaci.

Quercetanus unâ cũ alio magni nominis Medico germano oleum Heracleinũ Rulandi putat elici ex ligno Buxi.

Huic meæ opinioni contrariari video *Medicum illum & Chimicum* præcipuum *Quercetanum, qui unâ cum Germano magni nominis Medico testatus est, oleum ligni Heraclii, quo Rulandus ipse in suis centuriis tot Epilepticos sanitati restituisse, & dentium dolorem sedasse affirmat, è ligno buxeo destillatione extractum fuisse*, non Guajacino, ut antea opinabatur.

Refutatio hujus opinionis desumitur ex ipsis Quercetani & Rulandi verbis.

Sed litem hanc facili manu dirimet, qui æquâ lance rationes perpendet, easque diversas inter se, ob quas quilibet huic vel illi affectui edomando inservire statuat, observabit. Verba

ba igitur *Quercetani* (quæ reconditæ ſapientiæ multùm in ſe habent) ipſisſima mihi placuit apponere: *Atq; ut particularius cauſſam inaudiatis, quæ nos ad ſcobem buxei ligni alioqui admodum fætentis, & caput ferientis addendum impulit, ſciatis, in eo vim quandam narcoticam, & ſulphur ſoporiferum abundè contineri, unde fœtorem contrahit, quemadmodũ cicuta, ruta, mandragora, omniũq; papaverum genera, quæ ingratum odorem expirant, quod Narcotica ſint, hoc eſt, narcotico ſulphure nimium tincta & infecta.* Et paulò poſt idem: *Cujus narcoticæ virtutis magnum eſt argumentum, quod eâ quilibet vel graviſſimus dentium dolor, omnes alios dolores ſuperans, uno momento ſedetur, ſi denti ſcalpium oleo ejus intinctum, in radicem dolentis dentis immittatur, quæ vix eo attingit, cum ſtatim miraculi & incantationis inſtar dolor prorſus avolat quaſi & extingvitur.*

Oleum ligni buxi eſt narcoticum.

Hæc habet Quercetanus in tetrade p. 214

Et ex his, cuilibet conſtare poteſt, *oleum buxi non eſſe oleum Heracleinum Rulandi*, qui memoriâ recolit rationem, quam ſuperius adduxi, quâ vi-

Oleum ligni Heraclini humores & omnẽ materiã dolorificã extrahit, & per os evacuat.

videlicet oleum prædictum dolores dentium intolerabiles confestim sedet & auferat; *humores nimirùm affluentes, doloremq; causantes extrahendo,* & ut alibi loquitur, *copiosè per os educendo.* Quæ actio cum non competat sulphuri cuidam Nartico, & soporifero humores furētes, & insultus fulgureos ejaculantes cicuranti, mitiganti & extingventi: sicque aliter operetur oleum buxi, aliter oleum Heracleinum, unum idemque oleum esse nequit:

Libavius oleum Heracleinum parars affirmat ex ligno corylino

Verùm sicuti ab ariete hoc dextrò non percutior, ut à prædicta opinione discedam, ita nec ab altero moveor, qui è penu alchimisticoMedici & Chimici excellentissimi D. *Libavii* provenit, *qui putat oleum Heracleinum Rulandinum esse oleum ligni Corylini, dum in hæc erumpit verba.* Etliche rühmen vor solchen Gebrechen gar sehr das Oel und Spiritum descensorium ex ligno Coryli, das den Schlangen zuwider ist/ꝛc. Es bedüncket mich / Herr Rulandus habe darvon sein oleum Heraclium und conservam Antiepilepticam gemacht. Sed

Sed quia hujus opinionis suæ nullam rationem probabilem adducit, præterquàm quod aliquando gloriatus fuerit, sibi id ab optimi parentis *Rulandi* optimô filiô concreditum esse, non aliter, ac si Jupiter Junoni in aurem aliquid insusurrasset, eàdem facilitate, quâ affirmatur, rejicitur: Præsertim cum ipse *Libavius* testetur, quod *Rulandus* solitus fuerit sollicitatores, variâ objectâ offa, à se dimittere, *quæ verba habet in Apocalypsi Hermeticâ c. 8. pag. 255. Idem inibi :* Ingeniosus autor, cum videt sua medicamenta, quæ cupit clàm omnibus esse, fieri palàm, facilè potest aliquid comminisci, & instar Prothei in diversas formas se mutare. *Responsio ad eandem opinionem.*

Nam quamvis serpentibus contrarietur, & vermes interficiendi vim egregiam habere non dubitetur, non tamen exinde sequitur. E. est oleum generale Antiepilepticum. Quia diversum quid est Epilepsia à serpentibus, nec semper evenit, ut è vermibus ægrotantes evadant Epileptici, aut dentes doleant: Cùm tamen ne sic *Instãtia prò opinione Libavii ejusdẽ solutio.*

quidem oleum Anteepilepticum generale dici mereretur, uti Rulandinnm esse præsumitur. Et hæc de oleo Heracleino, nostram voluimus procedere, nemini autem invito obtrudere sententiam.

III. Olea è gummatib9 beneficio retorta in arena praparantur.

III. Olea quoque è gummatibus eliciuntur, sic:

℞. *Gummi Ammoniacum, Galbanum, vel aliud, quodcunq; volueris, & dissolve super ignem aceto acerrimo, solutumq; include retortæ, & adde arenæ ustæ f. q pro incorporatione. Postea retortam arenâ obrutam urge igne secundum gradus adhibitô, quem tamdiu continuabis, donec nihil amplius exire videris.* In recipiens collo retortæ annexum aqua pura infusa sit (*secundum quosdam*) quam deinde una cum oleo extracto à cineribus, per cohobia, pro rectificatione oleorum destillant.

Rectificatio oleorum prædictorum Vulgaris.

Rectificatio oleorũ è gũmatibus prolectorum compendiosa Libavii.

Libavius rejectâ hâc ratione rectificandi oleum *in additionibus ad Alchimiam incerti autoris* alium rectificationis modum proponit, ubi unicâ destillatione seu operatione olea rectificari & clarificari possunt, cùm aliàs

lias secundum dictam veterum methodum vix quarta destillatio sufficiat.

℞. *Fragmenta laterum magnitudine nuces avellanas æquantia.*
Candefac in crucibulo triangulari, & in dictum oleum successivè conjice tot, quot sufficient ad absumtionē olei omnimodam. Posteà fragmenta illa in pulverem grossum contunde, & inde in retortam vitream atq; iterum ex arena pelle. Si ustionē aliquam adhuc fortè redolebit oleum, lavari aquâ quâdam adaptâ poterit, statimque deponet.

Eôdem planè modô paratur OLEUM BENEDICTUM, aliô nomine OLEUM PHILOSOPHORUM vocatum, quod cum PINGVEDINE HUMANA paratum nobilissimas virtutes possidet. *Oleum philosophorum seu benedictum.*

Hæc Destillatio ad latus competit etiam CORNIBUS & OSSIBUS ANIMALIUM.

℞. *Cornu Cervi*
inde retortæ loricatæ, & observatis ignis gradibus elicitur Spiritus, oleum & sal volatile, quæ alexipharmacis pollent facul- *Ex cornu cervino simul & semel oleum, liquor, & sal volatile producitur.*

ta-

tatibus. Sal volabile difficulter servatur, aufugit enim propter volatilitatem, ideoq; aqua cordialis superinfundenda, ut aliquot digitorum intervallo superemineat.

Tria dicta similiter eliciuntur è Cranico humano.

EX CRANIO HUMANO *similiter hæc tria, videlicet sal volatile, liquor acidus, & oleum unica destillatione eliciuntur. quæ insignia sunt antiepileptica medicamenta;* inprimis, si è capite mortuo quoque sal fixum eliciatur, & his tribus conjungatur, posteaque hæc omnia per mensem Philosophicum in cineribus, igne lento, digerantur, ac uniantur, ut ex iis fiat Magisterium Antiepilepticum, cujus vires vulgarium epilepticorum medicamentorum facultates longè superat.

Magisteriũ Antiepilepticum peculiare.

Destillatio & rectificatio olei Succini in superioribus promissa.

Húc referri potest OLEUM SUCCINI, cujus præparationem superiùs promisi:

℞. *Succini quantum libuerit, indeq; retortæ terreæ, aut vitreæ lutatæ, & in arena destilla, quousq; oleum penè omne transgressum fuerit, indicio erit, cum jam crassum & nigrum oleum, illudq; per longa intervalla stillaverit. In re-*

receptaculum parum aquæ simplicis infusum sit. Hinc cum majore copia simplicis aquæ transfunde in retortam & Balneum vaporosum galeatum tantisper destillare permitte, donec nihil amplius olei clari & odorati una cum aqua descendere perspicies.

SAL VOLATILE *collo retortæ adhæret:* FIXUM *verò ex capite mortuo post destillationem olei in fornace figulinâ calcinato extrahitur.*

CAPUT VII.

De igne nudo.

Supra definitus fuit ignis nudus, quando materia in suo vase immediatè igni apponitur. Si ad definitionem hanc examinet quis destillationem per vesicam, sub hoc igne dictam operationem propriè tractari posse dicet. *Ignis nudi definitio.*

Destillatio verò per vesicam vulgaris est operatio, adeò ut mulierculæ eandem frequentissimè tractent. Sufficiat igitur primis solùm digitis eandem demonstrasse. *Prima species ignis nudi est.*

I. De-

1. Deſtillatur autem per veſicam Spiritus vini ex fæcibus vini & vino ipsô.

2. Deſtillatio oleorũ ex herbis calidioribus, ſeminibus, aromatibus floribus &c.

2. Deinde ex herbis calidioribus ſeminibus, aromatibus, floribus & aliis fundentibus oleum, mediante veſicâ cum ſuo refrigeratoriô, olea eliciuntur.

Ex aridis herbis calidioribus quomodo eliciãtur olea?

Ex Aridis quidem Herbis ita:

℞ *Magnam quantitatem alicujus herbæ calidæ, illiusq; flaccidæ vel ſiccæ conjice in vas capax, ſuperfunde aquam tepidam, ut ſatis ſupereremineat addeq; aliquot manipulos ſalis, atq; etiã ſi libuerit, unum vel alterum manipulum Tartari vulgaris, & ſine macerari per ſeptimanas tres vel quatuor. Deinde veſicam ad medietatem herbis exple, & ſuperfunde aquam, ut dodrantem emineat, deſtillaq;, quousq; omnis ſubſtantia oleoſa cum aquâ ſit traducta, quod deprehenditur, cum guttæ claræ & merè aquoſæ exeunt.*

Oleorum ab aqua ſeparationes variæ.

Oleum ab aquâ aut parvô cochleari argenteô, aut tritoriô, aut aliô modô ſeparetur. *De quibus modis ſeparandi videatur tractatio accuratiſſima & pleniſſima Sennerti in inſtit. Medicis de oleis.* Aqua,

Aqua, quæ simul exstillat, non immeritò aquæ destillatæ ejusdem herbæ substituitur, imò eidem præferri potest. Magis enim refert plantæ odorem & saporem, quàm vulgariter destillata aqua. *Aqua unà cū oleo profecta aqua ejusdē herbæ meritò substituitur.*

Olea ex SEMINIBUS sic destillantur. *Oleorum ex seminibus destillandi ratio.*

℞ Seminum carvi aut fœniculi, &c. quantum libuerit,

inq; vitrum magnum, vel vas fictile vitreatum injice, atq; affunde tantum aquæ simplicis tepefactæ priùs, ut dodrantem transcendat, & ad singulas libras seminum, manipulum salis communis adde.

Quidam aliquid Tartari calcinati addunt, *sinuntq; ipsa per septimanas tres macerari in cella (Si in tumescentibus seminibus* aqua decedit, aliam super affundunt) *Postea per vesicam destillant affusâ sc. adhuc aliquâ quantitate aquæ, ut tertia pars vesicæ, aut etiam aliquid amplius, vacua sit.* Facilè enim ebullire & sublimè efferri semina illa consveverunt, si vesica nimis referta sit.

No-

Peculiaris observatio in destillatione olei anisi.

Notandum est SEMEN ANISI adjecto sale communi & Tartari tamdiu macerandum esse, ut penè fœtorem acquirere incipiat.

Videndum præterea est, ut semina recentia ultra unum annum non asservata, nec etiam in sole exsiccata sint. Facilè enim oleosa hujus seminis substantia perit, ut postea in destillatione aut nihil, aut parum olei fundatur.

In aliis seminibus nihil difficultatis, & plerumque singulæ libræ eorundem fundunt olei unciam dimidiam.

Oleorum ex Aromatibus destillatio, & 1. olei cinamomi.

Ex AROMATIBUS conficiuntur olea ferè simili modo. *Confracta enim ruditer aromata in vesicam immittuntur affusa ad singulas libras aromatum unâ mensura vini, & aquæ triplô superadditô.* Destillanturque per vesicam calore non nimiùm vehementi, ne effervescendo in alembicum ebulliant. *Aliqui aromata & præcipuè* CINANOMUM *per aliquot dies in frigido macerant. Aliqui etiam iisdem sal adjiciunt, inprimis ve-*

verò Caryophyllis. Sed hæc sunt opera arbitraria, quæ adhibita parum juvant, & omissa parum nocent.

Aqua lactescens, quæ destillatione dictâ prolicitur, per duplicem chartam emporeticam priùs madefactam *(ne nimiùm attrahat)* percolatur, & solâ aquâ transcolatâ relinquitur oleum in chartâ, quod probè notandum. Plus enim olei hâc ratione, quàm usitatis separationibus (quarum in aliis operationibus mentionem feci,) & quidem faciliùs colligitur & separatur. Cùm enim usitati separationum modi difficilè scopum assequantur, varii variè occupati sunt in separatione oleorum cinamomi & Caryophyllorum. V. G. *Aquam illam lactescentem collocant in cellam frigidam, ut eò melius olea hæc propter ponderositatem, quam obtinent, fundum petant, atq; ab aqua separentur. Alii aliam rationem ineunt, de quâ videatur Libavius in notis ad Alchimiam pag.* 204. Nec tamen effectum optatum tam citò & certè ipsis videre licet, ac si dictam ἐγχείρησιν adhibeant.

Olei hujus separatio peculiaris, notatu digna.

Modus assequendi plus olei.

Aquam hanc semel transcolatam, iterùm, si libet, in vesicam super aromata prioris destillationis transfunde, denuoque destilla, & aqua iterum transibit lactea, ut prior; quam, si volueris, etiam per chartam transcolare poteris, & adhuc aliquid olei accipies, præsertim si majorem quantitatem cinamomi, vid. libras quinque vel plures in vesicam priùs immisisti.

2. Olei caryophyllorũ separandi modus.

Oleum CARYOPHYLLORUM similiter fundum petit: portiuncula etiam reliqua innatat. Separandum igitur similiter per chartam bibulam priùs madefactam, ac in infundibulum immissam.

3 De piperis oleo singularis observatio.

PIPER parcissimè oleum reddit, ideoq; aqua destillata aliquoties super remanentiam refundenda, & toties filtranda est.

Reliquorũ oleorum aromatũ facilis separatio.

Reliqua olea aromatum, ut NUCIS MOSCHATÆ, ACORI VERI, vulgo CALAMI AROMATICI, ZEDOARIÆ &c. innatant, & per tritorium seu separatorium facili manu separantur.

Oleo diu asservandi ratio.

Notandum præterea: his oleis, quæ conservare quis diu integra & salva

salvâ voluerit, aliquid propriæ aquæ affundendum esse. Aliâs enim facilè incrassantur & consumuntur.

Olea ex FLORIBUS VEGETABILIUM sic parantur E.G. *Olea ex floribus vegetabilium destillandi ratio.*

R. Flores Chamomillæ Romanæ siccos,

crasso modo contunde, & impone in vas fictile, addendo ad singulas libras florum.

salis communis, vel, ut alii svadent, salis tartari unciam unam cum dimidiâ, & affunde

aquam pluvialem, uti quibusdam placet, vel fluvialem calidam.

Stent in loco calido per dies quatuordecim. Dein destillentur per vesicam more prædicto, posteaq; oleum ab aqua separetur.

Eodem modô etiam ex LAVENDULA, & aliorum vegetabilium floribus possunt olea præparari.

Aliâs igne apertô, beneficiô retortæ ut plurimùm, varii destillantur SPIRITUS E MINERALIBUS, aut ad eorundem naturam accedentibus, videl. AQUA FORTIS, AQUA REGIS & alii spi- *II. Species ignis nudi est destillatio variorũ Spirituum per retortam*

ritus. Cum autem plerumque hujus destillationis Autores in descriptione Spirituum præparationem Aquæ fortis paradigmatis locô habent, & alios spiritus extrahere jubent eô modô, quô aqua fortis destillari solet, ejusdē præparationem hîc proponam, quæ talis esse poterit.

Destillatio aquæ fortis seu separatoria vulgaris & usitata.

℞. *Vitrioli ad albedinem, vel flavedinem calcinati (quamvis omninò de nihilo videantur hæ calcinationes, siquidē aquam fontanam in recipiens vas loco phlegmatis evaporati infundunt cum tamen spiritus aquæ fortis facilius in phlegma, quam in aquam infusam se demittant)* ℔ij.

Nitri purissimi ℔j.

Contusa hæc omnia inde retortæ Waldenburgicæ, aut simili, sine aliâ additione, & receptaculum magnum appone, juncturas optimô lutô claude, sub ministraq; dein ignem gradatim per horas duodecim, donec ad summum perveneris. Frigefactis postea omnibus & reseratis juncturis, effunde destillatam aquam in vitrum capax & validum, epistomiumq; claude quàm accuratissimè, ne spirituum quid exhalare queat. Aquam

Aquam hanc periti artifices sequenti modô clarificant, inquientes, nisi clarificetur hoc modo non æquè expeditè solvere metalla, ac si eadem purificata esset. *Capiunt nempe quartam partem, vel secundum alios, uncias duas solùm prædictæ aquæ fortis nuper paratæ, in aquam injiciunt argenti per plumbum à pollutione Venereâ, & spirituum crudi Mercurii, sulphurisq; non fixi consortiô purgati, & laminati drachmam unam* (alii duas adjiciunt) *& solvunt super prunis; solutionem hanc omnem infundunt reliquis* (tribus) *partibus aquæ prædictæ, & orificium vitri benè claudunt, ac agitant ferè per horæ quadrantem, donec nempè lactescat. Postea sinunt residere feces per horas duas vel plures, puramq; seu pellucidam supernatantem aquam inclinatione separant, & servant usui.* *Ejusdem purificatio.*

Ex hac Aqua Forti facilè AQUA quædam REGIS (quod metallorum Regem, Aurum solvat, ita dicta) sic præparatur. *2. Aqua regis communis.*

℞. *Aquæ fortis* ℥iiij.
Salis armoniaci vel communis exsiccati ℥j.

misce & sic chrysulcam regiam aquam, quæ solem in atomos solvat, habebimus.

Quidam plus salis armeniaci addunt, & post destillatione uniunt.

AQUA PUGILUM quomodo ex *Salepetræ & armeniaco* paretur, docent *authores & Frater Basilius in Clavi.*

SPIRITUS ☉ solaris etiam redditur, si proprio sale impraegnetur ad satietatem.

3. Destillatio Spiritus Tartari, ubi tria peculiariter observanda.

Eôdem ignis regimine Ex TARTARO elicitur Spiritus & oleum nihilque peculiare habet, quàm

1. Luti exsiccatio accurata ejusdemque cũ sevo liquato perfusio.

(1) Quod hic Spiritus lutum juncturis obductum maximè penetret. Svadent itaque Artifices, ut id per unũ vel alterum diem probè exiccetur, posteaque siccatum sevô igne liquatô perfundatur, cineresque puri immiscceantur.

2. Ignis continuatio etiamsi nihil amplius destilletur.

(2.) Quod post peractam destillationem guttarum picearum, & eruptionem Spirituum alborum per duas horas, ignis fortis seu summus continuandus sit, pro majore calcinatione capitis mortui, ut ex eo demùm eo facilius sal elici possit.

3.

(3.) Etiamsi supra dictum, ignem gradatim subministrandum esse, donec ad summum perveneris, id in hac operatione sic intelligendum, ut quidem adhibeatur primò ignis lentus, & postea successivè augeatur, donec omnes spiritus exierint, & aliquid ultra quoque. Sed cavendum est accuratissimè, ne ignis tum temporis nimium, quam par sit, intendatur, quando spiritus nebularum instar prorumpere incipiunt. Aliàs enim disrumperent receptaculum, & sic oleum & opera perderetur. *3. Ignis in principio destillationis moderatus singularis.*

Hic destillatus Spiritus per chartam bibulam duplicem prius madefactam filtratur, atq; ab oleo fœtido & crasso separatur. Deinde unà cum capite mortuo proprio, vel secundum alios, sale proprio, aut etiam colchotare Vitrioli in cineribus per alembicum destillatur bis terve, donec prodeat purus & clarus, nec odore gravis. Hanc tamen odoris graveolentiam sine virium amissione tolli haud posse, nec omninò formidandam esse *Crollius* docet. *Rectificatio Spiritus Tartari.*

Destillatio spiritus salis communis & Nitri, ubi nihil peculiare quã additio boli.

Similiter paratur SPIRITUS SALIS communis, NITRI, &c. ita tamen, ut his singulis tres vel quatuor partes bo'i rubei vulgaris vel terræ rubræ Adamicæ, quam vocant, admisceantur, id; a: prohibitionem fluxus potissimum. Salia enim si fluxerint, nullum spiritum emittent, quod hîc semel monuisse sufficiat.

III. Species Ignis nudi est Ignis fusorius.

III. Inter ignis nudi genera refertur quoq; IGNIS FUSORIUS, qui varius esse solet, modò magnus videlicet, modò parvus, pro rei fundendæ naturâ & quantitate. Alium enim ignẽ fusionis requirit PLUMBUM, alium, FERRUM.

Notandum præterea hîc: quædam mineralia & metalla omninò nõ aut difficulter fundi per se, nisi addantur quædam, quæ illa disponant ad fluxum.

Sed quia fusio metallorum rarò requiritur in medicamentorum præparatione, de illâ multis agere animus non fert. Ut tamen fusionis exemplũ quoddam habeatur, descriptionem Reguli Antimonii superiùs promissã adferam in medium.

℞.

℞. *Antimonii Ungarici*
♀ *albi a* ℔i
⊖ *purificati* ℔ß.
Pulverisata misce invicem.

Ignis fusorius exemplo Reguli Antimonii declaratur.

Deinde portionem aliquam hujus misturæ in mortarium, vel aliud vas æneum conjice, prunâque candenti admotâ incende, & dum adhuc candet, reliquam misturam paulatim adjice, continuo spatulâ ferreâ agita, & sic calcina igne Philosophicô, ut nominant.

Hâc calcinatâ materiâ seu misturâ reple vas triangulare fusorium, quod crucibulum appellant, *prius aliquô modô ad ignem calefactum, & in ignem fusorium super particulam lateris colloca, atq; prunis obrue, ignemq; follibus sufflando auge, donec probè fluat materia dicta. Fluentem materiam in infundibulum,* quod Aurifabri eine Gießbockel vocant, *calidum & sævo vel cera perlitum conjice, atq;, dum materia injecta adhuc calet, & liquida existit*, *continuo pulsando concute fundum infundibuli, ut regulus eò meliùs descendat è scoriis seu recrementis.*

Fusio reiterata reguli antimonii. Regulum hunc pulverisatum cum dimidiâ quantitate Nitri purificati adhuc semel vel bis quoque aliqui fundunt, donec puritas & splendor ejus arrideat, quod tamen supervacaneum puto.

Reguli Martis stellati confectio. Cum hoc processu coincidit confectio REGULI MARTIS STELLATI, cujus nunc optimam præparationem manifestabo:

℞. *Antimonii Ungarici*
♀ *albi a ℥ix.*
Nitri purificati
Clavorum minimorum ex puro ferro fabre factorum a ℥iiij.
Massam antimonii ♀ ⦶ *pulverisatam diligenter misce, & calcina igne philosophico, donec detonuerit.*

Interea autem clavos dictos unâ cum Crucibulo valido, in furnum fusorium carbonibus candentibus refertum ad igniendum colloca. Quibus, ubi benè igniti fuerint, superadde misturam calcinatam mediante cochleari ferreo, & contege tigillum fusorium cum magno carbo-

bone, & urge igni tali, qualis in processu præcedenti mentio facta fuit, donec omnia injecta benè fluat instar aquæ: quod ubi ex sonitu perceperis, misturæ si quid reliquum fuerit, injice, spatulaque ferrea agita, & iterùm auge ignem. *Posteà ubi ignem per horæ quâdrantem sufflando auxeris, effunde massam in infundibulum ferreum, & habebis Regulum Martis stellatum.* Splendor hujus reguli si non placuerit, purificari amplius, ceu prior, debet. *Signū quando materia fundenda fluat in igne*

Posset hic quidem Nitri Quoque Fusio cum Floribus Sulphuris declarari, sed cum de ea alii latissimè & luculentissimè agant, nihil addendum censeo præter id, quod in dictæ prçparationis initio pleriq; omittant, quo medicamenti istius præstantissimi efficacia imminui videtur.

Omittere plerosque aliquid dixi: Hoc nihil aliud est, quam Purificatio Nitri fusioni ejusdem cum Floribus sulphuris præmittenda. Non enim sequitur, uti ipsi sese defendere conantur; purificatur cum sulphure purgato; Ergò sufficienter purgatum est, *Discursus de præparatione Lapidis prunellæ. Argumentatio quadā pro confectione lapidis prunellæ*

Vulgari, ejusdemq; refutatio. est, quia Nitro permixta est quædam mucilago seu impuritas, quam sulphur non absumit, sed quandoque auget; siquidem ab eodem post fusionem prædictam, sed difficilius separari potest.

Argumentum quoddam contra prædictam. Accedit illud quoque (*quod illi non satis assequuntur*) nempe ab Autoribus pro confectione Lapidis prunellæ (*sic enim vocant Nitrum cum floribus Sulphuris fusum*) requiri Nitrum purissimum. Nitrum verò, uti à Nitrariis confectum venditur, non esse purissimum, ut pleriq; autumant, mucilago nominata ostendit.

Purificatio nitri præmittenda fusioni ejusdem. Ergò præmittenda est quædam purificatio, quæ talis esse poterit.

℞. *Nitri libras quinq;*,

his affunde aquam purissimam & limpidissimam, vel si habere potes, pluvialem aliquoties colatam aut destillatam, & coque ad rogum ex lignis constructū, flammaq; ardentem, tàm diu in vase

Signū quãdo ad justã consistentiã solutio nitri decocta sit. *aneo, spatula lignea diligenter agitando, donec gutta liquoris frigido ferro affusa statim butyri instar concrescat. Tunc insperge guttatim lixivii acerrimi*, quale

sa-

ſaponariorum eſſe ſolet, *uncias aliquot, atq; è veſtigio mucilaginoſa illa impuritas* (quæ ſalis cujusdam fixi naturam ſapere videtur) *copiosè fundum petet. Hoc ubi factum fuerit, liquorem clarum, calidumq; adhuc filtra, & in vaſe venereo anguſti fundi, lati verò oris loco frigido in cryſtallos lunæ inſtar albiſſimos ſine abire, quod intra paucas horas contingere aſſolet.*

Aqua ſupernatans iterùm coqui debet, ut ſupra, & rurſum ad cryſtalliſationem reponi toties, quoties neceſſum eſſe αὐτοψία judicabit.

Hi cryſtalli nihil aliud ſunt, quam Nitrum puriſſimum, quod Autores pro conficiendo Lapide prunellæ requirunt, multis modis nitrum illud, quod Artifices nitrarii more ſolito conficiunt, puritate vincens.

Nitri hujus puriſſimi, ut hoc obiter addam, idem uſus eſſe poteſt, qui lapidis prunellæ, quia æquè efficax repertum eſt. *Cryſtallorū horum uſus idem qui lapidis prunellæ.*

Nec deſunt, inter quos non poſtremus *Hartmannus, noſtri ſeculi præcipuus ille* Chimicus, qui fuſionem illam

Ni-

Nitri cum sulphure supervacaneam, imò pen inutilem ducunt, cum tetenuiores & subtiliores partes ejusdē hac ustione sensibiliter absumantur; quarum ope tamen magis penetrare, calorem ingentem aut mitigare aut extingvere, crassos item & viscidos humores attenuare, obstructionesquê fortiores reserare posset.

Hoc idem confirmare videntur, qui jam non amplius drachmas duas florum sulphuris, sed solum scrupulū unum pro qualibet uncia Nitri injiciunt. Vid. *Keslerum* in centuriis.

IV. Species ignis nudi est Camentatio.

IV. Porrò CÆMENTATIO ignè nudô, eoque CIRCULARI utplurimùm perficitur: Quæ definitur operatio, quâ vitia & impuritates mineralium auferantur, corporaque friabilia reddantur.

Hujus apparatum sufficienter declaravit *Bornetus p.*37. quo lectorem avidum relegandum censeo.

Cœmētatio exemplo antimonii diaphoretici explicatur.

Cœmentatio verò Mineralium vitia corrigens, & corpora friabilia reddens, etiamsi ad hanc partem Chimiæ, quæ agit de medicamentis præ-

pa-

parandis, propriè haud pertinere videatur; ejus tamen exemplum unicum in medium afferre libet, quomodo mineralis cujusdam, Antimonii videlicet, violentia tollatur, & ex vehemẽtissimo vomitorio salutare sudoriferũ efficiatur. Quod hac viâ peragi solet.

Flores Antimonii diaphoretici & fixi quomodo praeparantur.

℞. *Antimonii Ungarici crudi*
♁ *purificati a* ℔j.
♀ *albi* ℥iiij.

& pulverisata calcina igne Philosophico, donec planè detonuerit Huic misturæ calcinatæ iterumq; pulverisatæ de novo adde.

♁ *purificati* ℔ß.
♀ *albi* ℥ iiij.

& denuò calcina ut prius. Calcinatam hanc massam denuò pulverisa, & in lapide porphyrio tere, tritam in pluribus crucibulis impositam prunis candentibus, lateribusq; triangulari vel circulari formâ circumpositis bis cæmenta per horæ quadrantem. Postea in lebetem æneum non admodum profundum, sed tamen solidum & planum, aqua fontanâ frigidâ semiplenum paulatim injice misturam hanc cæmentatam, ignitam adhuc & calentem, inq;

indq; eodem lebete tere in pulverem, ut duriores partes, & unà cum iisdem Regulus Antimonii à floribus antimonii fixis eò accuratius separentur, & ad fundum subsideant. Hinc aqua lentè defundatur, & alia aqua tepida seu frigida aliquoties affundatur, & decantetur rursus; donec separatis floribus supersit in fundo Regulus solus, *(qui, si floribus permixtus maneret vi purgativâ & vomitoriâ flores contaminaret.)* Cognoscitur autem hoc ex eo; quod aqua affusa tingatur colore pallidô ad luteũ declinante, quamdiu aliquid florum restat. Regulus enim propter gravitatẽ metallicam, quam possidet, semper subsidet, etiamsi *(quod faciendum omninò, & quidem ideò, ut flores à Regulo ritè separantur)* materia, dum aqua defunditur, bacillô ligneô leniter agitetur.

Abjectis floribus reliquis, iisq; paucis unà cum regulo fundum petentibus; Aqua defusa cum floribus noctem unam servetur in fictilibus vel vitris, ut ex ista sensim decidant flores, quæ subsequenti manè à floribus in fundum regressis lentè de-

defusa seorsim reponatur in usum egregium, ut nempe sal antimonii diaphoreticum ex eo excoquatur. Flores verò dicti ad ignem lenem exiccati, ac mox triti in lapide porphyrio in crucibulis bis cæmentantur, tandem in pollinem lævigantur ex albo luteum, seu potius ex luteo albescentem, qui est antimonium diaphoreticum seu hydroticum, vel flores fixi, quorum dosis à scrupulo uno ad drachmam unam.

Aqua modo defusa, servataq; seorsim in priore lebete prunis imposito coquendo coaguletur, donec omni liquore consumto in fundo relinquatur pulvis, qui à parietibus lebetis separatus teritur, & duabus vicibus cæmentatur in crucibulis semper per horæ quadrantem, ac tandem lævigatus in pollinem quoq; reducitur, qui est sal antimonii diaphoreticum, cujus media respectu florum superiorum est dosis, vid. à granis X. vel XII. ad drachmam dimidiam.

Cōpendiosa ratio Antimonii diaphoretici.

COMPENDIOSISSIME Antimonium DIAPHORETICUM paratur duplici viâ.

1. Cum Antimonio & Nitro.

I. ℞. Antimonii part. j.
⦶ part. iij.

Tere diligenter, misceantur, & per cribrum trajiciantur In crucibulo igni circulari & rota exponantur, calcinenturq; per duas horas.

Effundantur post in mortarium, & pulverisentur, edulcorenturq;. Aqua decantata evaporet ad medietatẽ, & in cella concrescent crystalli salini, qui cœmentati per horam dimidiam, & pulverisati veniunt nomine Nitri anodyni fixi.

2. Cum Epate Antimonii vel 🜍 aurato.

II. ℞. Croci Metallorum purioris, vel 🜍 aurati ℥ij.
⦶ ℥iiij.

Pulverisata utraq; & cribrata, misceantur, & in crucibulo calcinentur, quod fit sine magno tumultu, & egregium medicamentum erit paratum.

V. Species ignis nudi est ignis reverberatorius.

V. Sub igne nudô ulterius comprehenditur Ignis Reverberatorius, quem varii variè describunt, & adhibent in præparatione Croci Martis, qui vel est aperiens, vel astringens.

Crocus Martis Aperiens.

Aperiens crocus in omnium ore celebris nulla quidem indiget reverberatione, sed leniori via paratur.

Cro-

Saccarinus cum oleo.

CROCUS MARTIS SACCARINUS APERIENS *paratur illitione laminarum cum* ○ ° ○ 🜍 *campanato acutissimo.* ESSENTIA MARTIS CROLLIANA *paratur cum aceto ex scoriis.*

Cum aceto.

Paracelsus de natura rerum lib. 5. *qui inscribitur de morte rerum naturalium, præcipue laudat duos* CROCOS, *unum per ignitionem & extinctionem laminarum in aceto, quo evaporato Crocus in fundo relinquitur: alterum per stratificationem & calcinationem cum* 🜍 & 🜖 *limaturæ æqualibus partibus, vel cum* 🜍 *solo immissis laminis Martis in ejus magdaleones.*

Crocus Astringens paratur per Reverberationem.

CROCUS autem ASTRINGENS paratur reverberatione, sed non uno & eodem modo.

I. Laminis in fornace vitrariorum vel reverberii calcinatis, & à flamma exesis, crocus in superficie enascitur, eò maturius, si urinâ puerorum vel spiritu ⊖*lis aspergantur.*

II. Limatura cum 🜍 *aliquoties calcinata & reverberata.*

III. Super limatura aqua fortis infunditur, sedato tumultu, solutum decantatur. Nova affunditur, iterum decã-

tatur. Tandem alembico imposito destillatur cum bina cohobatione. Mars in fundo relictus ruber in reverberio calcidatur 40 horarum spacio.

Reliqua verò, quæ requirunt ignem reverberatorium, vel in fornacibus figulinis & laterinis, vel etiam sub tegula probatoria perfici possunt.

VI. Species ignis nudi est ignis descensorius, Veteribus frequens.

VI. Ignis insuper Per Descensum, quem vocant, sub ignis nudi generibus recenseri potest. Cujus apparatus cum à pluribus luculenter & exactè describatur, ejusque loco destillatio retortalis in arena à plerisq; usurpetur, de eo multa facienda esse verba supervacaneum duco.

VII. Species ignis nudi est ignis docimasticus.

VII. Porrò sub igne nudô continetur Ignis Docimasticus seu Probatorius, ubi sub tegulâ metalla examinantur. Qui cùm rarissimè requiratur in præparatione medicamentorum, jure illum siccô pede transiliendum judico.

IIX. Cremoris tartari, & lactis sulphuris praeparatio.

IIX. Sub ignis nudi generibus comprehenditur Coctio, quæ in præparatione quorundam chimicorum me-

medicamentorum quoque necessaria est. V. G. in præparatione CREMORIS TARTARI, DIGESTIVI & LAXATIVI istius tantoperè decantati, & Specifici Pulmonum, & balsami illius humidi radicalis à multis ita dicti Cremoris seu LACTIS SULPHURIS. *De quo tamen quid sentiendum explicat luculentissimè Sennertus, quem consulere poterit Lector cupidus.* Sed quia hæc coctio à Philosophis Chimicis vocatur opus mulierum, & lusus puerorum, sufficiat locum congruum indicasse.

IX. Postremum destillatio SPIRITUS SULPHURIS ACIDI *secundum quosdam* huc revocari debet. Hunc per campanam *(Alembicum quendam rostratum ita indigitatum)* jam olim destillarunt; sed parva quantitas spiritus, & quidem tardè colligitur: Plurima enim pars sub campana exhalat, & in auras abit. *Destillatio Spiritus Sulphuris. per campanam.*

Alii retortæ vitreæ fundum exscindunt, sub eo collocant catinum fusorium triquetrum, in quo sulphur ardet. Patellam fundo quoque supponunt, in quam resolutus liquor con-

fluat. Ori retortæ admovent receptaculum, in quo aliquid aquæ destillatæ insit. In hanc incumbẽtes spiritus sulphurei resolvuntur, & ita plus spirituũ colligitur; Aqua verò tandẽ exhalatur.

Per vitrum conoides. *Alii* vitrum Conoides (vulgò ein Nonnenglaß.) exci ô fundô pro campana aut retorta substituunt. Id quò fuerit capacius, eò aptius.

Quidam retortam habent, in cujus dorso canalis retrò patet, hanc furno applicant, luto prius munitam; ori verò receptaculum agglutinant, in quo aquæ pluvialis vel fontanæ destillatæ circiter tres aut quatuor unciæ continentur. *Per retortam tubulatam.* Retortæ vacuæ ignem subdunt, donec incandescat; ubi demum sulphuris fragmentum per dictũ canalem injiciunt, quod impetu in spiritus resolutum per collum retortæ in receptaculum compulsum ibidem in liquorem abit. Id vicissim continuatur toties, quoties visum fuerit.

Et hæc quoque de nudo seu aperto igne sunto dicta.

EPI-

EPILOGUS.

Quemadmodum ἀκαίφαλον omninò hunc tractatum nolui, ſed proœmii loco commendationem alicualem Chimiæ præmiſi: Ita colophonidis vice diſcurſus de duobus medicamentis Chimicis famoſis ſuperpondii inſtar addere lubet, ut Chimiæ ſtudioſis exemplum oſtendatur, quomodo in medicamentorum Chimicorum præparationes inquirere, &de eorundem deſcriptionibus judicare debeant.

DISCURSUS I.

De Aqua benedicta Rulandina, ſeu de vero uſu Vitri Antimonii, quod plurimi ob abuſum potiſſimùm execrati fuerunt.

Clariſſimum illum Medicum Lavinganum *Martinum Rulandum Parentem* hinc inde varias reddidiſſe cauſſas, quare ea, quę ex uſu diutino in ægrotis experta & contra varias ægritudines tàm externas, quàm internas probata medicamẽta habuerit, publicè commendaverit; Inſimul pleraque ipſi uſitata medicamenta inſigniora *Rulandus medic amẽta ſua commendavit.*

obſcuris nominum involucris obvelata pleroſque latere; *ſectionis ſecundæ capite ſeptimo* relatum, atque exemplo olei Heracleini demonſtratum fuit.

Cùm autem illa digna videantur, in quorum deſcriptiones Chimiæ ſtudioſi inquirant, jam animo meo collubitum eſt agere de aqua ejuſdem benedicta, *quam Quercetanus in pharmacopæa dogmatica reſtituta hinc inde, inprimis v. p.* 391. *repetiit*, laudeſque ejus multis modis ebuccinavit.

Compoſitionem verò prædictæ Aquæ idem *Rulandus centuria quinta cur.* 95. ſic proponit: Quoniam de Aqua benedicta ſœpe in centuriis noſtris meminimus, compoſitionē ejus, ſæpenumerò rogatus à Clariſſ. & Doctiſſ. Viris & Amicis, hîc obiter paucis exponam.

Compoſitio Aquæ benedictæ Rulandi.

Crocus noſter Metallorum, *maceratur per noctem, vel urgente neceſſitate ebullit à lentis magnitudine ad piſi quantitatem in aqua, vel vino, vel cerevisia, vel aqua mulſa, vel deniq; in liquore morbo conveniente, de quo capitur poſt infuſionem ab uncia dimidia, uſq; ad*

duas

duas uncias. Colatum deinceps bibitur frigidè vel calidè.

Colaturæ huic nomen impoſuimus Aquæ benedictæ: quæ maxima cum ægrotorum ſalute in omnibus morbis, etiam incurabilibus propinatur aut per ſe, aut aliis admiſcetur, ut docent curationes.

Cum itaq; hîc mentio facta fuerit Croci Metallorum, proinde *Quercetanus in pharmacopœa dogmatica reſtituta cap.7. de Aquis pag.* 126. proponit modũ conficiendi Crocũ metallorũ, exindeq; parandi aquam benedictam, cui easdem vires tribuit eandemque, eſſe cum Rulandina ſibi imaginatur.

Quercetani opinio de aqua benedicta Rulandi atq; Croco metallorum.

Eandem quoque fovit ſententiam Chimiater Marpurgenſis, atque cùm *Quercetanus ſuperius citato loco* obſcurioribus quibusdam verbis Crocum illum Metallorum fabricare docuerit, pro peritia ſua Chimica eximia nodũ huncce Gordium diſſecare, & rationem præparandi eundem apertis verbis auditoribus ſuis olim indicare voluit. Quæ ratio elegans cum quoque ad manus meas pervenerit, nolo illam

Hartmanni opinio de iisdem.

aliis invidere, ampliusque mihi soli servare, sed omnibus quàm lubentissimè communicaram cupio.

Descriptio. *Pro confectione Croci Metallorum recipit Nitri purissimi seu probè defecati & antimonii crudi pulverisati partes æquales: Deinde jubet, ut fluat nitrum separatim in sartagine, igne lento sine omni violenta vasis ignitione, atq; ubi benè fluxit, removeatur ab igne vas, & adde successivè antimonium tenuissimè pulverisatum* (si sine detonatione & inflammatione misceri se invicem patiuntur; sin minus, desistendum aliquandiu à mixtione, donec refrigerationē competentem nactum fuerit nitrum) *ab initio quidem paulatim, postea confertim, omnia interim agitentur spatulâ ferreâ, donec invicem fuerint probè mixta, quæ deinde accendantur carbone vivo vel potius ferro candente. Ubi detonuerunt, paratus est Crocus Metallorum: antimonium enim hoc modo elaboratum, & postea probè edulcoratum non absimile Croco relinquitur.* Hactenus *Hartmannus.*

Hic sis cautus. Deñ weñ es zu heis ist/so springet es einē ins Gesicht.

Ex lectione autem & investigatione horum Autorum cuivis cum pateat,

teat,

teat, quod hi duo Viri Celeberrimi ſtatuant aquam benedictam Rulandi, nihil aliud eſſe, quam infuſum Croci Metallorum, cujus præparationem edocuere, ille quidem ænigmaticè, hic verô perſpicuè cum omnibꝰ encheireſibus. Et hic quidem expreſsè ita ſentit ille verò ſolum probabiliter conjicit.

Refutatio opinionum poſitarum. Sed ut pace tantorum Virorum dicam, quod ſentio, ambo in hoc mihi falli videntur, quod negligant dictionem illam unicam Noster, quâ *Rulandus* crocum ſuum à vulgari disjungit, minimè verò eundem eſſe cum prædicto expreſsè innuit. Quicunque enim ſibi tribuit peculiarem aliquam medicinam, quemadmodum *Rulandus* manifeſtè voce illâ, Noster, fecit, in hoc à notis & aliis uſitatis ſuam expreſsè ſejungit.

Crocus metallorũ Rulandi eſt vitrũ antimonii pulveriſatum. Quid igitur ſibi velit *Rulandus* per ſuum Crocũ Metallorum inquiſitione opus eſt, cum uti dictum, per verbum, Noster, ſuum diſtingvat à Croco Metallorũ aliis uſitato. *Ego*, quod quondam vidi in proprio *Rulandi* manu-

nuscripto apud amicũ quendam, elc quar. intelligit vitrum Antimoni pulverisatum; *quia hoc contusum re fert croci aliquam similitudinem.*

Instantia pro opinionibus supra positis & ejusdem solutio.

Sed quærat quis, cur similes & fer easdem sortiantur facultates diversæ ill aquæ benedictæ, si sunt diversæ?

Respondeo, quia utriusque es una eademque materia, ex qua constant, antimonio nempe seu Magnesiâ Saturninâ, quæ radix Metallorum à quibusdam dicitur, & præparatione solum discrepat basis dictæ utriusque aquæ.

2. Instantia & solutio ejusdem duplex.

Præterea, si quis objiceret nimiam, & laboriosam vomitionem à vitro antimonii induci solitam, & à portione sulphuris cujusdam Arsenicalis residuâ dependentem: quasi hæc non conveniret medicamento tantoperè à tantis viris deprædicato, huic duplici modo respondere possem. I. per retorsionem, quod similem, imô quandoq; vehementiorem vomitionem crocus metallorum ciere soleat, quam vitrum Antimonii: quia Crocus est medicamentum minus

Prima responsio per retorsionem, Crocus Metallorũ æquè violentus est ac vitrum antimonii.

nus elaboratum, quàm nominatum vitrum, quippe quod temporis progressu suâ sponte priorem formam & colorem quoque nigrum assumat, quemadmodum experientia edoctus *Libavius* asserit, quo remitto lectorem.

Sed hoc quoq; ratio sequens evincit. Si portio quædam sulphuris Arsenicalis in antimonio residere potest post calcinationem diuturnam, eamq́; sæpius repetitam, quæq́ue corpori nigro contrarium colorem, album videlicet, quem nunquam sponte suâ deponat, inducit & infert, multò major quantitas ejusdem sulphuris in eodem antimonio deprehendetur, si superficiariè solum & semel sine continuatione ignis seu, ut loquitur *Quercetanus* igne Philosophico ac potentiali, nullâ vi externâ ignis accedente calcinetur. Atqui prius verum esse paulò post probabitur. E. & posterius.

Confirmatio prima responsionis.

Quercetanus ignem Philosophicum appellat, das verpuffen.

Nam quamvis pro Croco Metallorum superius allegato militare potest; quod additione nitri sulphur istud Arsenicale quodammodo figatur, & quasi cicur reddatur: *Vel sal nitri*

Instãtia pro croco metallorum & responsio ad eandem.

tri inimicum suâ naturâ existat Arsenico, Realgar aliisq; mineralibus venenis, adeoq; ut cum illis commixtum, & Vulcano traditum non possit, non cum proprio Spiritu venena illorum abripere, & sic post se relinquere medicinam tutò intra corpus assumendam.

Remanet tamen portio prædicti sulphuris venenati, nec exuit omninò naturam pristinam antimonium, uti ex experimento *Libavii* cernere est.

Altera responsio.

2. Violentia illa vitri antimonii facili negociô ita edomari potest & debet eô modô, quem mox proponam; ut multis modis lenius, tutiusq; operetur, ac ipse Crocus Metallorum. *Nempe sic:*

Descriptio aquæ benedictæ Rulandinæ planæ & plenæ.

℞. *Antimonii absq; borace vel alio additamento secundum Basilium vitrificati ℥j.*

Vini Malvatici ℔j. vel ℔iß. ad summum.

Tamdiu in loco non admodum calidò maceretur, donec cutim contrahat vinū.

Modus separandi exactè sulphur Arsenicale ab antimonio.

(Hæc cutis nihil aliud est, quàm residua portio Sulphuris Arsenicalis, à qua oritur illa vehemens vomitio, re-

lis

licta à calcinatione antimonii) *Hac cute per filtrum ab infusione separatâ & abjectâ, longè mitius, quam ante hac, operationes suas exferet aqua benedicta,* & per consequens non erit tam violenta operatio hujus, quàm alterius aquæ benedictæ.

Quicunque igitur ob violentiam rejecerunt hucusque vitrum antimonii *(ceu numero quam plurimi ob eandem exsecrati fuere)* ii hanc rationem ineant, atq; experientur medicamentum uti efficacissimum, ita tutissimum, si secundum regulas Methodi medendi exhibuerint.

Ratio dicta separandi sulphur Arsenicale à vitro antimonii.

Rationem quidem hanc corrigendi infusum antimonii vitrificati, seu idem à sulphure Arsenicali liberandi omisit *Rulandus*, sed necessaria omninò est, minimeque negligenda.

Verùm, ne meam sententiam nimiùm amplificando, eam omnium aliorum opinionibus præferre velle videri possim, diutiùs non immorabor huic instituto, sed ad alia me conferam, cùm aurū potabile aures meas vellicet, inq; sui inquisitionem me totum rapiat.

DIS-

DISCURSUS II.

Proponit veram descriptionem Auri potabilis, de quo multi multa blaterantes, parum intellexerunt.

Plures sunt, qui de vīribus, pauciores, qui de legitima praeparatione auri potabilis agūt.

INsignes virtutes, imò ineffabiles ferè Veri & Philosophici Auri potabilis copiosè apud omnes Scriptores Chimicos plenis buccis decantatæ fuere: Qui verò verā genuinamq́; descriptionē ex tenebrosisPhilosophorū ænigmatis eruerēt, inventi pauci sunt.

Multi nihil crepant nisi varias praeparationes auri; De legitima verò seu radicali solutione magis muti quam pisces.

Quamvis enim quilibet ferè nihil aliud crepet, nisi aurū potabile, quintam essentiam auri, oleum auri, arcanum sulphuris auri, Mercurium auri præcipitatum, Vitriolum auri &c. Attamen aut nihil aliud sunt, quàm mera & pura puta phantasmata, persvasiones meræ, aut nullibi fit mentio radicalis solutionis auri, multò minus quando, an videlicet in principio, medio vel fine sit adhibenda, nec quomodo sit peragenda! aut perficienda: de illa altum silentium, cum tamen hæc unica Philosophica proba veri auri po-

potabilis existat, quâ sine aurum quovis modô præparatum aut sine fructu expectatô, aut quandoque cum noxâ & damnô viscerum exhiberi persvasum habeo.

Hanc quoq; δοκιμασίαν Anglicum illud aurū potabile, quod habetur apud Franciscum Antonium Medicum Lugdunensem non sustinere testatur Hartmannus, pro indeq; necessariò remissius agere, nec astralibus morbis æquè mederi omnibus dicitur.

Aurū potabile Anglicū remissius agit, nec æquè morbis omnibus astralibus medetur.

Sed utut plurimi plurima de auro potabili jactitent & glorientur, apud neminem tamen, quantum ego quidem scio, vera rudimenta ejusdem inveniuntur, præterquam apud *Fratrem Basilium Valentinum, Monachum ordinis Benedictini*, Chimicum eminentissimum, qui ducentis abhinc annis infinita propemodum remedia purgativa, sudorifica, & restaurativa partim ex Antimonio, partim ex aliis mineralibus, quæ miræ esse efficaciæ perhibet, à se composita descripsit. Ut autem illorum præparatio aliud multò præstantius, quam vulgares

Apud solum Fr. Basiliū rudimenta vera Veri Auri potabilis reperiuntur, qui alia quoq; varia & efficacia medicamenta descripsit

 spon-

ſpondent Chimicorum elaboratio-
nes,ſic eadem graviſſimis quibusque
morbis opem ferunt præſentiſſimam.

Sparſa quæ habet prædictus colligenda, & in ordinē redigenda ſunt, ut diſcendi cupidis ſatis fiat, fuci autem Chimicis atq; imperitis abarceantur.

Hic ſparſim hinc inde in ſuis ſcriptis modum parandi aurum potabile verbis ſatis Philoſophicis edocet: proinde conſultum videtur, ut ipſius verba diſperſa in unum locum congregentur, ordinemque certum redigantur, quo illi, qui diſcere cupiunt, certam habeant normam, ſecundum quam in præparatione auri potabilis progredi, i.e. quid primô, quid intermediô, quid poſtremô locô agere debeant, & mendacia & profectus fucatorum Chimicorum explorare poſſint.

Verba enim illius, qui non intelligit, ad optatum finem in præparandô aurô potabili haud perventurum eſſe ſtatuo.

Ad rem ipſam tandem ut deveniam, primam præparationis partem *in repetitione Magni Lapidis veterum p.* 108. ita exponit. Wiſſe aber / daß dein Gold zuvor in einem ſonderlichen Waſſer / ſo in meinem andern Schlüſ-

ſel

ſel iſt gelehret worden/ nach ſeiner purification des erſten Schlüſſels muß auffgelöſet/vnd in einen ſubtilen Kalck gebracht werden/wie dann im vierdten Schlüſſel zu leſen / vnd dann ſolchen Kalck durch den Saltzgeiſt vbergetrieben vnd wieder niedergeſchlagen/ vnd durch die reverberation zu einem ſubtilen Pulver gemacht.

Operatio prima in præmiſſis juſſa, fuſio nempe auri cũ Antimonio, quæ tota die apud Chryſurgos cernitur.

His verbis primò jubet AURUM PURIFICARE, hoc fit fuſione cum Antimoniô, quod, quia apud Chryſurgos & Aurifabros facilè cernere eſt, nolo hîc amplius de eâdem verba facere, cum illa, quæ apud alios proſtant, & à nemine in dubium vocantur, proponere non ſit animus.

Operatio ſecũda, nempe ſolutio auri in menſtruo competenti, de quo paulo poſt plura.

II. Solvere ſeu calcinare jubet Aurum purificatum aquâ quâdam Corroſivâ, quam alibi deſcripſit, cujusque ſtatim mentionem faciam.

III. Operatio, quæ eſt calcinatio auri & elevatio ejusdem.

III. Solutum ita & calcinatum Aurum jubet elevare ſeu deſtillare per Alembicum additô Spiritu ſalis, acuatô tamen vel alio menſtruo (*ceu inquit alibi*) quod callenti artem deſtillatoriam & menſtruum non ignoranti haud erit difficile.

IV. Operatio est præcipitatio auri, quæ varia quidem esse solet, sed illa præ aliis arridet, quãdo menstruum in B. M. separatur.

IV. Jubet præcipitare aurum ex menstruo solvente, seu separare aurum ab eôdem, quod multis modis fieri potest, qui omnibus propè noti sunt. Interim tamen monendi mihi Chimici videntur, ne in præcipitatione auri usurpent oleum tartari per deliquium factum ob periculum imminens; de quo *Crollius & Horstius* consuli possunt, aut quam cautissimè rem hanc tractent. Ego mallem destillatione in B. M. separare menstruum, quàm aliâ ratione.

V. Operatio est reverberatio auri sub tegulâ probatoriâ cum floribus Sulphuris.

V. Reverberare aurum, id est, in pulverem subtilem & levem subtilissimi Croci Martis instar redigere mandat.

Cum autem reverberare aurum cum floribus Sulphuris sub tegulâ optimè noverint quamplurimi, nolo amplius hîc insudare; sed potius aquam authoris corrosivam & aurum secum super alembicum elevantem seu deducentem eruere.

Menstruum competẽs est Spiritus salis acuatus

Hujus meminit in eadem repetitione p. 112. sequentibus verbis: Der gemeine Saltzgeist / welcher zwar durch

son-

sonderliche Gelegenheit meines letzten Berichts ausgetrieben wird / macht Gold vnd Silber/ so ihm eine geringe quantitet von dem Drachengeiste zugefüget wird/flüchtig/löset sie auff/vnd treibet sie hoch in den Schnabel des Helms / gleich wie der Adler mit dem Drachen / so in den Steinfelsen aus vnd einfleucht/auch thut. Da aber etwas mit dem Saltze geschmeltzt wird / figirts vielmehr / dann es flüchtig macht. *Vel alio quẽ sub aquâ pugilum innuit.*

Duo menstrua solventia, aurumque secum super alembicum deportantia his exhibet, & cuilibet liberum relinquit, quodnam horum usurpare voluerit, cum utrumq; præstet id, quod fieri jubet. Interim hoc adjicere necessarium est, quod Spiritus Salis communis acuatus minori preciô comparari possit, quam alterum menstruum, quod hieroglyphicè describit.

Quod quidem ex auro debeat extrahi sulphur seu tinctura, omnes pomposis verbis jactitare solent, sed si

quæratur, quomodo aut quando? tacent, aut utplurimum falsa proferunt. *Cum itaq; ex Philosopho nostro audiverimus, quid prius faciendum sit, & sic quando, determinatum fuerit, nunc ex eodem eliciamus, quomodo & quibus mediis Sulphur auri acquirendum veniat, & deinde ita præparetur, ut non amplius cum corpore suo redeat in gratiam.*

VI. Operatio seu Extractio Sulphuris solaris mediante Spiritu salis dulcificato.

VI. Viam & rationem ex Croco Solis dicto sulphur extrahendi paulò post inibi p. 113. explicat, cum in hæc verba prorumpit: Dieses sage ich auch/ da der Geist des Saltzes mit dem Spiritu des Weins vereiniget / vnd zum dritten mal mit jhme vberzogen wird / so wird er süsse / vnd verleuret seine Schärffe. Dieser præparirte Spiritus greifft das Gold nicht mehr corporaliter an/ sondern so er auff einen subtilen bereiteten Goldkalck gegossen wird/ ziehet er aus seine höheste Farbe vnd Röhte.

Hic omnia ex sese lucent, & nullà indigent explicatione aut admonitio-

tione, præterquam qualem Spiritum vini autor requirat. Cum verò

Optimus interpres verborum quisq; suorum.

statuatur, atq; autor noster alibi apertè mentem suam explicet, *nempe in additione clavium p.*156. consultum videtur, illum ipsum audire sic loquentem: Der Geist des Weins hat eine wunderbahre Eigenschafft / dann ohn jhn kan kein rechte tinctura Solis ausgezogen noch ein rechtes Aurum potabile gemacht werden. Aber wenig wissen den Weingeist recht zu machen/viel weniger auszugründen seine Eigenschafft. Vielerley Wege sind versuchet worden / den Weingeist ohne Verfälschung zu erlangen/ als durch vielerley instrumenta vnd distillirens durch metallische Schlangen vnd viel seltzamer Erfindung / auch durch Schwämme vnd Papier/2c.

Omnes modi destillandi Spiritum Vini usitatiores & secretiores rejiciuntur à Fr. Valentino.

Der Grund aber ist bey denen allen nichts. His verbis, quorum portionem aliquam studiosè brevitatis caussâ omisi, omnes modos præpa-

randi seu rectificandi Spiritum vini, qui apud plerosque in usu sunt, atque in secretis habentur, rejicit. *Qualem vero esse velit sequentibus, quæ in eadem additione p. 158. habet, innuit:* Da ein rectificirtes Aqua vitæ oder Brantewein angezündet wird mit einer Flamme / so scheidet sich der Mercurius vegetabilis vnd Sulphur von einander / der Schweffel brennet gantz hitzig / so flihet der zarte Mercurius hinweg in die Lufft/ vnd gehet wiederumb in sein Chaos. Wer aber den fewrigen Geist beschliessen vnd gefangen nehmen kan/ der mag sich rühmen / er habe ein Ritterstück in der Chimischen Feldschlacht erholet / vnd eine Victoriam vnd Triumph vieler Wissenschafft mit Ehren erstritten. Dann dieser fewrige Geist ist allein der einige Schlüssel den metallischen vnd mineralischen Sulphur auszuziehen von jhren corporibus.

Verus Spiritus Vini nihil aliud est, quam Sulphur ejusdem.

Ex his partim per bonam consequentiam, partim per contextus apparentiam colligitur 1. Verum & Philosophicum Spiritum vini nihil aliud esse quam Sulphur vini. 2.

2. Deinde Spiritum vini, quemadmodum vulgariter præparari solet, si accendatur, & flammâ extinctâ nihil aquositatis reliquum appareat, ut tunc pro alcoole vini venditetur, non esse verum & Philosophicum Spiritum vini, quippe haud extrahit Sulphur mineralium & metallorum.

Spiritus vini purissimi nota.

Postea Spiritum vini tunc purum & ab omni impuritate Mercuriali seu aquositate liberum exsistere, si incensus ardet lucidè flammæ instar, cui nihil aut parùm de colore cæruleô immixtum cernitur, uti in accensione Spiritus vini communi modo præparati contingere assolet, quod ex illo colligitur, quod toties ab Autore nostro nominetur igneus ille Spiritus. *De hujus præparatione in libello, cujus titulus* Wunderartzney/ *& in Exegesi Chimica D. Andreæ Tentzelii verisimilia videantur.*

VII. Operatio circa aurum potabile; Sulphur auri extractum radicaliter solvens,

Sed manum de tabulâ hâc, quia ad ultimam præparationis lineam tandem aliquando descendendum est; nempè quomodo Sulphur hoc

 au-

auri extractum radicaliter demùm solvatur, & emolliatur quasi, ut proportio fiat inter hoc & ventriculum, tanquam inter agens & patiens, quò eô meliùs à calore nostro in actum deducatur, & faciliùs penetret ad loca corporis distantissima, ibique operationes suas luculentiùs manifestet, quod nulla quinta essentia, nullum oleum, nullum arcanum auri communi modò præparatum præstare potest, quia in illis deficit radicalis solutio, quam idem *Fr. Basilius in præcitatâ repetitione p.* 109. his introducit verbis: Denselben Sulphur oder Röhte solte hernach vfflösen in seinem eignen Blute/ daraus er zuvor vor seiner Fixigkeit selbsten gemacht ist nach seinem Gewicht im sechsten Schlüssel angezogen / so hast du den rohten Löwen mit dem Blute des grünen Löwens gespeiset vnd auffgelöset. Dann das fixe Blut des rohten Löwens ist gemacht aus dem vnfixen Blute des grünen Löwens / darumb sind sie einer Natur / vnd das vnfixe Blut macht auch flüchtig

tig

tig wiederumb das fixe / vnd das fixe macht dahingegen beständig das flüchtige / wie es vor seiner Aufflösung gefunden worden. Las dann zusammen in gelinder Wärme stehen / biß der Sulphur aller auffgelöst worden / so hast du das ander ferment den Fixensulphur mit dem Vnfixen gespeist / wie alle Philosophi sagen neben mir. Dasselbe wird dann mit dem Spiritu vini vbergetrieben roht als ein Blut / vnd heist Aurum potabile, darinnen kan keine reduction einiges Leibes gefunden werden.

Hæc quia satis aperta, nulla opus habent declaratione, 1. enim describitur menstruum, quô nempe mediante fiat radicalis solutio, sangvis nempe Leonis viridis, qui secundum quosdam nihil aliud est, quam Spiritus vitrioli dulcis, quem *Basilius* sub nomine Mercurii Philosophorum vel Spiritus Mercurii comprehendit. *Libavius* quidem in parte posteriore Apocalypseos Hermeticæ p. 334. diversam alit opinionem, & commendat

In dicta operatione seu radicali solutione Sulphuris solaris

1. Menstruũ notandum.

dat Spiritum Mercurii quendam, cujus etiam tradit descriptionem, eumque unicam clavim vocat ad aurum potabile verum, sed aberrat à mente *Basilii*.

2. Pondus menstrui.

2. Pondus menstrui innuitur & repetitur ex sexta clavi.

3. Modus resolutionis

3. Modus resolvendi proponitur, nempe digestio ad ignem lentum, qui propriè si loqui velimus, est ignis Balnei vaporosi, non verò ignis Lampadis, aut alius artificialis, uti multi somniârunt, & in eôdem omnem spem, quamvis frustrà, collocârunt.

4. Unio cum Spiritu vini Philosophico

4. Colophon imponitur & ultima quasi manus, dum declaratur, quomodo uniatur cum Spiritu vini, nempe beneficio destillationis seu potiùs cohobationis, ut vehiculum sortiatur, quò in destantissimas corporis partes citò se insinuatum ire queat.

Et hæc sunt, quæ ex scriptis Basilianis eruere potui, & in ordinem redigere volui, quo desideratum, imò de-

desideratissimum hoc medicamentum tandem aliquando cognosci & præparari possit. Nam certò mihi persvadeo, nullam aliam dari aut reperiri posse secundùm mentem dicti *Fr. Basilii* rationem efficiendi verum Aurum potabile, quàm hanc à me undique conquisitam & in ordinem redactam. Ea igitur regulæ instar Lesbiæ esse poterit, ad quam examinare licebit omnes alios processus Auri potabilis, & explorare profectus destillatorum vagabundorum & aliorum erronum, qui se callere quàm certissimè rationem conficiendi Aurum potabile profitentur. Cujuscunque igitur descriptio ad hanc regulam, & quidem per omnia non quadrat, nec ex sua hanc explicare potest, multò minùs hanc sine alio interprete intelligit, ejus descriptio unâ cum Autore rejicienda est. Et quicunque addiscere vult rationem conficiendi Aurum potabile, discat prius hanc descriptionem intelligere.

Hoc

Hoc ut omnes faciant, rogo & adhortor omnes, & id quidem non solùm in hac præparatione, verùm etiam in omnibus, de quibus hactenus pro tenuitate ingenioli mei in medium consului: consului autem ideo (cum viderim huc usque iis modis, quibus dixi, hallucinari quam plurimos, exindeque multa incommoda non solùm ægrotos, verum etjam Medicos manere) ut errata ista detegantur, eorumque dispulsis tenebris plena veritatis lux resplendescat, devios in viam reducat, refractarios confundat, sacræque medicinæ παμβασιλεῖα per universum diffusa orbem longè lateq; salutaria expandat brachia.

Hanc à TE, SUMME ARTIS CONDITOR, exspectamus gratiam. Tu, dedisti velle, da etiam perficere. Jube votis eventus respondere sequaces. Impera, ut medicina sit sanitatis mater, vitæ amica, mortis inimica, incolumitatis corporis & animi conciliatrix, tutatrix, curarum expultrix, securis-

riſſimum adverſus ingruentium morborum agmina munimentum, domi æque ac foris neceſſarium, in adverſis præſidium, in ſecundis ſolatium, ac ſaluberrimum omnium proſperitatum condimentum. Te FŒLICITER, adnuente, conſilia noſtra ſint auxilia, ſint præſidia divina non humana, radiis micent cœleſtibus, non imbecillitatibus ſordeant terrenis. Sic ſupra ſortem humanam morti objicem objiciemus, & tua aſpirante benedictione, divino conatu conteremus.

DEO T. O. M. LAUS ET HONOR.

INDEX CAPITUM.

A IN-

INDEX OPERATIONUM ET MEDICAMENTORUM.

A.

B.

C.

De-

D.

E.

F.

L.

M.

Re-

R.

S.

T.

V.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

Au-

A 5 Gra-

H.

I.

Ignis

L.

M.

Me-

N.

O.

Oleum

Præ-

R.

S.

Spi-

V.

Utile

Utile ab inutili separare satius, quam diagrydium vulgare propinare. 71

Ex Vitriolo dissecto cultro Spagirico tota officina pharmaceutica prodire potest.

FINIS.